




HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
SIGILLVM
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS

ANALECTA GRAECO-LATINA.

PHILOLOGIS

VINDOBONAE CONGREGATIS

OBTULERUNT

COLLEGAE CRACOVIENSES ET LEOPOLITANI.




CRACOVIAE.

APUD BIBLIOPOLAM SOCIETATIS LIBRARIAE POLONICAE.

(SPÓŁKA WYDAWNICZA POLSKA.)

1893.



Cracoviae, 1893. — Typis Universitatis Jagellonicae, curante A. M. Kosterkiewicz.

»Cum implerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco.« A verbis ex Actis Apostolorum exscriptis sumat exordium noster hic libellus; quamvis enim ad Apostolorum conventum pertineant, optimo tamen iure in philologos quoque nunc Vindobonae commorantes accommodari ea posse concedes. Si vero Pentecostes sollemne ad illius diei memoriam celebrandam institutum est, quo Apostoli gratia divina instincti »loqui variis linguis« coeperunt, tum profecto non est mirum, quod viri doctissimi, linguarum sive emortuarum sive adhuc viventium acerrimi scrutatores, his potissimum diebus congregari solent, quae investigando eruerint, cum aliis communicaturi. Attamen miram illam linguarum diversitatem, licet et Apostolis insigne ad novam relligionem propagandam praebuerit instrumentum et philologis novas cottidie studiorum materias suppeditet, non dubitarunt nonnulli nefandam recentioris aevi calamitatem nuncupare, utpote quae et reipublicae litterariae sodales quasi aheneis dirimeret muris et aequabili scientiarum proventui gravissima strueret impedimenta; qui tales fundunt querellas, eos quidem oculos desiderii plenos ad illam referre aetatem aequum est, qua »terra labii unius ac sermonum eorundem erat«, eorum vero maledicere audaciae, qui caelum stultitia petentes turrim illam

Babylonicam in nubes usque efferre sunt conati; nam ex Babylonico crimine varietatem et confusionem linguarum emanasse, sacris traditur scripturis. Ne tamen iudices agamus nimis severos, cavendum certe est, neve obliviscamur, quo tempore calamitas illa Babylonica ingruerit in genus humanum, simul philologiae diem illuxisse natalem. Nisi enim temerarii illi mortales peccassent, philologis profecto deesset studiorum materia, quin immo ipsa vivendi ratio neque laetissimi illi philologorum coetus celebrarentur, qui non minus scientiam, quam scientiae cultores mire recreant et ex mutuo doctorum virorum commercio, ut novae litteris vires accrescere possint perficiunt.


Praesto vero est efficacissimum instrumentum, cuius usus a Babylonicae confusionis malis egregie vindicare queat, linguam dico latinam, ab huius aevi hominibus nimis profecto neglectam. Itaque ne surdis caneremus auribus, hoc Vobis obtulimus munusculum latinum, quod disputatiunculas aliquot philologorum Polonorum continet precamurque a Vobis ut mnemosynon illud — sane pusillum — benignis et aequis accipiatis mentibus, faventis animi et studiorum nostrorum documentum.



Observationes metricae
ad
Herodam.

Scripsit

STANISLAUS WITKOWSKI.



Herodae mimiambi postquam ex Aegypti tenebris post longam saeculorum seriem in lucem sunt deprompti, multa, quae adhuc in historia choliambi graeci obscura erant, ad liquidum perduxerunt. Praerupta vorago, quae inter veteres choliambographos graecos et posteriorem Babrium hiabat, cognita arte metrica Herodae expleta est. In historia choliambi nunc nobis continua series continuusque progressus apparet. Herodas magis accedit ad severas tragicorum leges quam ad liberum comicorum usum, id quod praecipue ex exiguo pedum trisyllaborum numero et ex singulari in eis adhibendis arte et cura manifestum est; altera ex parte in accentu ultimo pedi imponendo extremaque syllaba conformanda init viam, quam post eum plane perfecteque trivit Babrius. Differt a reliquis uberiore crasium et synaloepharum usu. [1])

---

[1]) Praetermittere non possum, quin hoc loco summas agam gratias Hermanno Dielsio, praeceptori dilectissimo, pro rara ac singulari benevolentia, qua coeptis meis favens omnia, quae aut ipse invenisset et congessisset aut alii cum eo communicavissent, in usum meum tradiderit.

1

I. Pes ultimus.

In accentu ultimo pedi imponendo Herodas eam sequitur normam, ut paenultima versus syllaba multo saepius accentum habeat quam ultima. Inter circa 674 versus, quorum exitus sunt servati, c. 470 (=70%) in paroxytona aut properispomena vocabula exeunt; in c. 109 versibus (=16%) considit accentus in syllaba ultima, in reliquis 88 (=13%) in syllaba antepaenultima. [1]) Babrius igitur, apud

---

[1]) Non adnumeravimus versus, qui in dativum pluralem pronominum personalium: ἡμεῖς. ὑμεῖς exeunt, cum non sit plane certum, quem accentum dativi illi in Herodae choliambis habeant. Quod ad ὑμιν pertinet, syllaba -μιν explet IV 79 thesim secundi, VII 50 quarti pedis, qui apud Herodam semper corripiuntur; I 19 et II 100 est -μιν anceps utpote in exitu versus. Dativus ἡμιν collocatus est ter (II 44, VI 15, VIII 12) in exitu versus, I 48 efficit -μιν thesim pedis tertii (ubi ἡμιν ex ἡμων correctum), VII 75 thesim pedis quarti, II 25 pedis quinti; semel tantum, VI 97 Crusius (secundum cuius editionem infra laudatur). occurrit ἡμι[ν in fronte versus hoc modo mutilati, ut interstitium suspicionem moveat arsim primam fuisse solutam. Cum in ceteris vocabulis, quorum quantitas sibi non constat, Herodas utramque formam adhibere soleat (e. g. κᾰλός et κᾱλός, ᾼιδης et ᾿Αΐδης cett., nonnunquam in eodem versu ut VII 115), dativi ἡμιν et ὑμιν nullo loco ita collocati inveniuntur, ut syllaba -μιν arsim expleat. Ex quo sequi videtur apud Herodam semper ἡμῐν et ὑμῐν metiendum esse. Dativi illi utrum scribendi sint ἧμιν, ὗμιν an ἡμίν, ὑμίν, certo diiudicari non potest, accentus enim. qui in papyro I 19 dativo ὑμῖν impositus est, nihil probat (cf. III 74: πὲρνας). Notandum est Herodam omnes utriusque pronominis casus ita in versu collocare, ut maximam partem prima syllaba percutiatur, non solum in dativo ἡμιν, ὑμιν, sed etiam in nominativo ὑμεῖς, genetivo ἡμέων (ἡμῶν), ὑμέων, accusativo ἡμέας (ἡμᾶς), ὑμέας (ὑμᾶς). (Nota, quae II 9 in papyro syllabae ἡ- vocis ἥμεας imposita esse videtur, fortasse non est synaloephes, sed accentus signum). Inter 19 formas pronominis ἡμεῖς tres (I 16*, II 2, VI 97), inter 12 pronominis ὑμεῖς duae (VII 55 et 62) tantum contra hanc normam peccant (5:31)

Praeter pronominum formas omissi sunt in computando ultimi pedis accentu aliquot loci incerti, ut IV 93, ubi αὔτη scribendum esse puto et IV 98 (κἀξαμίθρησαι an κἀξαμιθρῆσαι?). Multorum versuum exitus mutilati sunt.

quem syllaba paenultima sine exceptione accentum habet, [1]) nullas novas artis metricae normas invenit, sed Herodae vestigiis insistit.

In paenultima praefertur accentus acutus: inter c. 470 versus 330 (=70%) acutum, 139 (=30%) circumflexum habent. Alia ratio intercedit in versibus, quorum ultima syllaba accentum habet: 50 exeunt in oxytona, 58 in perispomena ita, ut in ultima syllaba et acutus et circumflexus pari modo admissi esse videantur. In Herodae mimiambis dimidium igitur versuum (=50%) in paroxytona, 20% in properispomena, 13% in proparoxytona, 8% in oxytona, 8% in perispomena exeunt.

Ultima syllaba versus apud Herodam multo saepius est producta quam correpta. Inter 685 versus exeunt in syllabam longam c. 447 (=65·6%), in syllabam brevem 234 (=34·4%) ita, ut tertius quisque versus in fine corripiatur. (Quattuor versus exeunt in dativos: ἡμίν, ὑμίν). Itaque in hac quoque re Herodas Babrio, rarissime exitum versus corripienti, viam monstravit. In longe plurima syllabarum productarum parte (361=81%) adhibitae sunt vocales natura longae (aut per synizesin contractae), in reliquis 86 (=19%) occurrunt diphthongi αῖ, οῖ, terminationes: -σθαι, -αι, -μαι, -ται, -νται, pronomina enclitica: μοί, σοί. Quod ad syllabas correptas pertinet, plus quam dimidium (126) in consonantem exit, 29 in ν ἐφελκυστικόν, 79 in vocalem correptam.

In paenultima syllaba praefertur vocalis natura longa (c. 74%); multo minor versuum numerus (c. 26%) exhibet vocalem positione longam. In 683 syllabis 504 longae sunt natura, c. 179 positione ita, ut post tres circiter versus, qui in paenultima vocales natura longas habeant, se-

---

[1]) Cf. M. Ficus, de choliambo graeco, in Rossbachi et Westphalii re metrica graeca p. 813 sqq, ex qua dissertatione multum fructum percepi.

quatur unus, cuius vocalis longa sit positione. [1]) In syllabis positione longis consonae perraro (4 : 179) ita collocantur, ut altera earum exitum, altera initium proximae vocis efficiat; tum autem vox proxima solet esse enclitica (I 6 παρεῦσάν με, VII 35 πρός με, 88 πρός σε); accentum habet semel (I 48 ἄκουσον δή). In syllabis positione longis evitatur positio debilis; inter 179 tantum 7 exempla eam exhibent. [2])

Herodas adamavit hanc versus conformationem, ut p e s u l t i m u s sit vox b i s y l l a b a eoque modo a praecedenti intervallo quodam dirimatur. Inter 668 exitus versuum c. 435 (=65%) in vocem bisyllabam desinunt, c. 220 (=33%) in vocem, quae plus quam duas syllabas comprehendit. Post duos igitur versus in bisyllabum exeuntes sequitur fere unus, cuius exitum efficit vox plurium syllabarum. In singulis tamen mimis varia observari potest ratio utriusque generis vocum. Cum enim e. g. in mimo octavo reliquorumque fragmentis voces trium et plurium syllabarum vicenas tantum efficiant centesimas, in mimo primo ternas et quadragenas i. e. fere dimidium omnium terminationum explent. [3])

Si iam vocum, quae plus quam duas habent syllabas, ratio habetur, notandum est primum Herodam admittere in extremis choliambis voces non solum trium, sed etiam quattuor et quinque syllabarum. Inter eas frequentissimae sunt voces trisyllabae, in 668 enim versibus numerum 123 (=18·5%) implent. In singulis mimis ratio admodum variat ita, ut e. c.

---

[1]) IV 55 potest scribi: ὤικται aut cum Blassio ὤεικται (cf. lesb. ὀείγην ab *ὀFειγ-, quae est stirps plenior debilioris *ὀFίγ-, in *ὀFίγνυμι, hom. ὦιξα cett. viventis). Omnino quantitas vocalium ι, υ, α, quas duae consonae sequuntur, non semper explanari potest. praecipue in nominibus propriis.

[2]) κρ (III 9), τρ (VI 5), δρ (IV 92), θρ (VI 58, 63), γν (VII 20, VIII 6). IV 62 potius πύραστρον cum Meistero quam πύραγρον scribendum esse videtur. Nullum exemplum invenitur, ubi vocalis exitum, muta cum liquida initium sequentis vocis efficiat.

[3]) In singulis mimis haec intercedit ratio inter voces duarum et voces plurium syllabarum: I 43 : 35, II 66 : 28, III 67 : 28, IV 64 : 29, V 53 : 29, VI 55 : 40, VII 64 : 25, VIII et fragmenta 23 ; 6.

in mimo octavo reliquorumque fragmentis voces trium syllabarum decimam, in sexto quartam universorum exituum efficiant partem. [1])

Numerus vocum tetra- et pentasyllabarum, si summam computaveris, numerum vocum trisyllabarum non exaequat, est enim 97 (=c. 15·5$^0/_0$ omnium terminationum). [2])

Ut in fine versus expedita sit facileque fluat oratio, monosyllaba perraro admittuntur. In 668 versibus 13 tantum in monosyllaba exeunt. Usus eorum praeterea certis legibus definitur. Maximam partem cum praecedenti vocabulo arte sunt coniuncta hac ratione, ut aut sint enclitica (novies): μοί, σοί, μέ, σέ [3]) aut paenultima sit articulus, ultima substantivum (bis: I 54 ἐκ τῆς γῆς, II 3 τ[ὴν] νηῦν). Ab hac lege duo tantum exempla excipiuntur: II 65 δεῦρο Μυρτάλη καὶ σύ et I 48 ἄκουσον δή. Liberior utriusque loci usus eo explicatur, quod utrobique is, qui loquitur, orationem parumper interrumpit, ut animum audientis moveat: altero loco Gyllis in Metricha cupiditatem nova audiendi exspectationemque auctura, altero leno servam in medium proripiens vestemque ei detrahens, ut vulnera iudicibus ostendat. Duo loci non sunt certi: VII 1 suppletur in exitu versus: εἴ] τ[ι; V 6... χρῶ ὅτι βούλει, quod in papyro traditur, versum non explet; cui corruptelae viri docti ita consulunt, ut Buechelerus post βούλει voculam μοί suppleat, Weilius post ὅτι particulam δή inserat. [4])

---

[1]) In 81 terminationibus I. mimi, quae integrae servantur, 18 sunt trisyllabae, II (97 versus) 14, III (96 vv.) 17, IV (93) 19, V (84) 18, VI (97) 24, VII (91) 13, VIII fr. (29) 3.

[2]) In mimo I. ratio est contraria: 15 voces trisyllabae, 20 voces plurium syllabarum (19 tetra-, 1 pentasyll.).

[3]) Bis μοί (III 59 κοῦ μοι, VI 93 οὐκ ἂν εἰπεῖν μοι), ter σοί (II 58 ἦν σοι, V 69 οὕτω σοι, VI 22 ἤν σοι), bis μέ (I 6 παρεῦσάν με, VII 35 πρός με), bis σέ (V 66 δεῖ σε, VII 88 πρός σε).

[4]) Quinque versus desinunt in vocabulum, quod ex duobus concrevit: τοῦδε (VII 122), τῶνδε (IV 83, VII 11), οὔτις (IV 80), μηδέν (VII 114).

II. Pedes reliqui.

In adhibendis pedibus trisyllabis Herodas cum magnam ostendit artem, tum summam exercet continentiam. Praeter iambos et spondeos admittuntur in mimiambis anapaesti, tribrachi et dactyli, excluduntur proceleusmatici.

Anapaestus.

Anapaestus ab Heroda perraro usurpatur: novies occurrit in prima sede, semel in quarta, semel in quinta, ita, ut universi mimiambi undecim omnino anapaestos exhibeant. In septuaginta circiter versibus unus igitur invenitur anapaestus. Quinque anapaesti, i. e. dimidium omnium, nominibus propriis constant.

Anapaesti non aequabiliter in singulis mimis dispertiti sunt: quattuor exhibet mimus IV, ternos mimi V et VI, unum mimus VII, in reliquis (I, II, III) anapaesti prorsus desunt. Ut in efferendo anapaestus facile fluat, adhibentur a poeta voces, in quibus una consonarum tres anapaesti vocales disiungentium sit liquida (λ, μ, ν, praecipue ρ, e. g. παράδειγμα, λέγε μοι) aut voces, in quibus una harum consonarum desit (e. g. Ὑγίεια). Qua ab lege unum tantum excipitur exemplum (δέδεται V 31). Correptio attica in thesi anapaesti omnino est exclusa. Cum anapaesto ea, quae sequuntur, plerumque aut particulis (καί, τε καί) aut enclitice (VI 96 ὑγίαινέ μ[οι) aut denique sensu artius coniunguntur (VI 72 ἐρι', οὐχ ἱμ[άντες).

Anapaestus in prima sede.

Ut celer cursus, quem anapaestus in prima sede versui praebet, quodam modo retardetur, inciditur versus caesura semiquinaria. In tribus versibus, quae caesuram semiseptenariam exhibent (IV 6, VI 96, VII 57), pes tertius est nomen proprium, ita ut incidi non potuerit. [1])

[1]) In quattuor versibus tertia sedes spondeum implet, in duobus (VI 96, VII 57) nomen proprium continet, in reliquis tribus (IV 5, 9, VI 72) iambum efficit.

Veteres poetae tragici non admittebant anapaestum nisi in vocibus, quae anapaestum explent aut exordiuntur. Herodas ab hac severa veterum lege haud longe recedit. Occurrunt apud eum formae anapaesti quae sequuntur:

1) Prima sedes est vox anapaestum efficiens aut exordiens (septies). In arsi est semper vocalis natura longa aut diphthongus.

a) nomina propria:

Πανάκη IV 6, Ὑγίεια IV 5, Ποδαλείριος IV 9, Σικυώνια VII 57.

b) nomina appellativa et verba:

παράδειγμα V 13, δέδεται V 31, ὑγίαινε VI 96.

2) Anapaestus inciditur ita, ut arsis a thesi seiungatur. Arsis est monosyllabon:

λέγε μοι V 1, ἔρι', οὐχ ἱμ[άντες] VI 72.

Anapaestus in reliquis sedibus.

Poetae tragici anapaestum in reliquis sedibus evitant. Herodas etiam in hac re severas observavit leges. In quarta sede semel apud eum occurrit anapaestus: VI 55 τούτῳ [...]αιδὶς ἡ μακαρῖ|τις ἐχρῆτο, semel in quinta IV 72 ἀληθιναί, φίλη, γὰρ αἱ Ἐ φεσίου|χεῖρες. In utroque loco praecedens pes inciditur. — II 82, ubi papyrus praebet: ἔμβυσον εἰς τὴν χεῖρα Βα[ττ]αρίωι τιμήν, oculi scribae in ι terminale aberravisse videntur; cf. III 58 ...Μητροιτιμη (pro Μητροτιμη), scribendum est igitur: Βαττάρῳ. Vox πόλιος in II 31 νῦν δ' οἱ μὲν ἐόντες τῆς |πόλιος| καλυπτῆρες, per synizesin est efferenda (tamquam πόλεως).

De arsibus solutis.

Ut oratio vividior magisque ad vitam expressa fiat, pluribus locis arses solvuntur. Ne tamen choliambi nota oblitteretur, arses solutae in priore tantum parte versus admittuntur. In posteriore parte omnino duo exempla tribrachi in quarta sede occurrunt (I 30, VI 22). Dactylus in posteriore parte versus nullo loco invenitur. Pedes quintus et sextus

solvi non possunt. Pedes soluti in Herodae mimiambis implent numerum circa 55.

Et in pedibus solutis, sicut in anapaestis, usurpantur maximam partem voces, in quibus una consonarum vocales disiungentium aut sit liquida aut prorsus desit. In sedecim pedibus, qui contra hanc legem peccant, novem hoc modo facili in efferendo cursui consulunt, ut aut una voce aut duabus inter se arte coniunctis constent.

In plurimis (36) pedibus solutis arsis a thesi disiungitur. Uno vocabulo pes impletur sedecies. In tribus exemplis (II 40, 56, V 68) thesis cum priore arsis particula unam efficit vocem.

Positio debilis in pedibus solutis prorsus evitatur. Hanc normam unum tantum violat exemplum: V 5 γυναῖ|κα. προφά|σεις.

Versus, qui in priore parte pedem solutum habet, inciditur caesura semiquinaria. Ex quinque versibus, qui in quarto pede inciduntur, duo nomina propria exhibent (IV 81 ἠρέσατο τὸν Παιήονα, V 60 τοῖς δύο Κύδιλλ' ἐπόψεϑ'), in tribus varia calceorum genera commemorantur (VII 58 ψιττάκια, κανναβίσκα, 60 ἀκροσφύρια, καρκίνια, 128 ὅκως λάβῃς καρκίνια). Incertum est III 71 μὴ μ' ἱκετεύω, Λαμπρίσκε.

Praepositiones bisyllabae in compositis priorem syllabam percutiunt: VII, 61 κοκκίδες, ἔρη|βοι, διά|βαϑρα, VI 22 Νοσσίς; κόϑεν λαβοῦ|σα; Δια|βαλεῖς, ἤν σοι.. Cf. V 52 βάδιζε καὶ|μὴ παρὰ|τὰ Μ.

Tribrachys.

Tribrachi admittuntur in quattuor prioribus sedibus, excluduntur quinta et sexta. Frequentissimi sunt in sede secunda (17); in sede prima occurrunt quater, in tertia ter, quarta bis, omnino vicies sexies [1]).

---

[1]) II 9 scribendum est cum Crusio: . . . .] ὡς βου|λόμε<σ>ϑ' ἀλλ' ὡς ἡμέας, in quarta enim sede Herodas dactylum evitat.

In prima sede:

a) est vox tri- aut tetrasyllaba: II 68 πατέρας|, ἀδελφούς; V 64 δεδεμέ|νον οὕτως.

b) arsis disiuncta est a thesi; thesis est articulus, arsis exorditur adiectivum aut substantivum trisyllabum: VI 52 ὁ δ'ἕτε|ρος ἐγγύς, VIII 53 τὰ μέλε|α.

In secunda sede:

a) Pes non inciditur;

a_1) pes exorditur vocem tetrasyllabam: I 29 θέαι, | φιλόσο|φοι; VI 71 ἀλλ' ἡ|μαλακό|της.

a_2) pes est exitus vocis pentasyllabae: VII 60 ἀκρο|σφύρια.

a_3) pedem mediae syllabae vocis pentasyllabae implent: II 27 τὴν αὐ|τονομέ|ην; IV 23 οἱ Πρη ξιτέλε|ω παῖδες.

b) Arsis disiungitur a thesi exorditurque vocem trisyllabam. In proxima sede sequitur caesura semiquinaria.

b_1) thesis est exitus vocis tri- (bi-) syllabae: I 32 γυναῖ κες, ὁ[κ]ό|σους; V 5 γυναῖ|κα· προφά|σεις; V 66 ἔχον|τα ῥαφί δας, VII 108 δύ]ναι|το μ' ἐλά|σαι, 109 ἐόν|τα λίθι|νον; VII 51 τὸ ζεῦ|γος ἕτε|ρον.

b_2) thesis est monosyllabon, quod cum praecedenti aut sequenti artius coniungitur: I 56 ἰδών|σε καθό|δῳ; V 46 ὡς μὴ δι' ἀγο|ρῆς, 85 ἄξεις τότ' ἀμ[έ]λει.

c) Arsis inciditur disiungiturque a thesi: II 79 ἐρᾶς | σὺ μὲν ἴ|σω[ς] [1]), VI 83 τρίβου|σα τὸν ὄ|νον.

d) Thesis cum priore arsis syllaba coniuncta est: V 68 οὕτω | κατὰ μυ|ός.

In tertia sede:

a) Pes non inciditur: VII 57 Σικυώνι', Ἀμ|βρακίδι|α.

b) Thesis est exitus vocis bi- (tri-) syllabae: I 31 μουσήϊον, οἶ|νος, ἀγα|θά; VI 76 αὐτῷ; φιλεῦ|σα, τὸ φα|λ.

---

1) ἴσος et ἴσως apud Herodam habent semper ι correptam (II 32, VII 27; II 79): falso ἶσος scribi iubet Werner, Quaestiones Babrianae (Berolini 1891) p. 27, adn. Vox ἀείδω habet ᾰ, τίνω et θύω semper ῐ et ῠ.

In quarta sede:

Arsis disiungitur a thesi; thesis est exitus vocis trisyllabae: I 30 θεῶν ἀδελφῶν τέμε|νος ὁ βα|σιλεύς; VI 22 Νοσσίς; κόθεν λαβοῦ|σα; Δια|βαλεῖς.

Dactylus.

Herodae mimiambi exhibent circa 29 pedes dactylicos [1]: 15 in sede prima, 14 in tertia. Reliquis sedibus dactyli excluduntur.

In prima sede:

a) Pes non inciditur. Arsis et thesis vocem a_1) trisyllabam efficiunt, aut a_2) tetrasyllabam exordiuntur: a_1) I 33 ἀστέ]ρας | ἐνεγκεῖν; VII 61 κοκκίδες | , ἔφηβοι; — a_2) IV 81 ἠρέσα|το τὸν Π.; IV 93 δκισόμε|θα; VI 57 οὐδέτε|ρος; VII 58 ψιττάκι|α.

b) Thesis est monosyllabon (articulus, praepositio) cum arsi artius coniunctum, arsis b_1) vox bisyllaba, aut b_2) trisyllabam exordiens: b_1) II 42 τὸν νόμον, V 60 τοῖς δύο; — b_2) II 26 τῆς πόλι|ος, II 88 κὴς βάσα|νον, IV 91 τὸν πέλα|νον, IV 94 τῆς ὑγι|ίης. (III 71 μὴ μ' ἱκε|τεύω?)

c) Thesis est monosyllabon, arsis articulus et prima syllaba vocis trisyllabae: III 44 ἀλλ' ὁ κέ|ραμος.

d) Thesis coniuncta est cum priore syllaba arsis: II 40 οὔτε νό|μον; II 56 οὔ[τ]ε πό|λιν.

In tertia sede:

a) Pes non inciditur: VII 60 ἀκροσφύρια, | καρκίνι|α; VII 128 ὅκως λάβῃς | καρκίνι|α.

b) Arsis est vox bisyllaba aut exorditur vocem trisyllabam; thesis monosyllabon aut exitus vocabuli: V 52 βάδιζε καὶ | μὴ παρὰ | τὰ Μ.; VI 67 δόξεις· [δύω] | μὲν, δύο| γάρ; — I 28 πλοῦτος, παλαίστρη, δύνα|μις; I 30 θεῶν ἀδελ|φῶν τέμε|νος; IV 19 ἐκ δεξιῆς|τὸν πίνα|κα; VI 24 ἐκ τοῦ Κο-

---

[1]) VI 97 ἡμι'ν' ἀφ[... potest esse dactylus; VII 56 dactylus incertus est. III 71 aut dactylum aut spondeum in 1. sede habet.

ριτ|τοῦς στόμα|τος; VII 5 τὴν μέζον' ἔ|ξω σανίδα; VII 61 κοκκίδες, ἐφη|βοι, διά|βαθρα.

c) Arsis inciditur: I 9 Γυλλίς, παρ' ἡ|μέας; τί σύ|; — III 19 αἱ δορκαλί|δες δὲ λι|παρώτεραι; VI 74 κῶς οὖν ἀφῆ|κας τὸν ἕ|τερον; VI 92 ἔδει πυθέ|σθαι τὸν ἕ|τερον.

Plures pedes trisyllabi in uno versu.

Herodas non admittit in uno versu plus quam duos pedes trisyllabos. Inter versus, qui servati sunt, quattuor omnino inveniuntur, in quibus binae sedes sint solutae. In omnibus enumeratur longa rerum series: I 30 divitiae et mirabilia Aegypti: θεῶν ἀδελφῶν τέμενος, ὁ βασιλεὺς χρηστός (dactylus et tribrachys), VII 57, 60, 61 varia calceorum genera: Σικυώνι' Ἀμβρακίδια, νοσ[σ]ίδες λεῖαι (anap. et tribr.) ἀκροσφύρια, καρκίνια, σάμβαλ' Ἀργεῖα (tribr. et dact.) κοκκίδες, ἐφηβοι, διάβαθρ'. ὧν ἐρᾷ θυμός. (dact. et dact.)

Ceterum in uno versu una tantum sedes soluta admittitur.

Spondeus.

Spondeus evitatur in secunda et quarta sede. (In ὑῇ, quod VII 46 sedem secundam implet, ὑ- ante vocalem corripitur. VI 48, ubi papyrus Κέρδων ἔρραψε praebet, editores merito ἔραψε scribunt. In III 71 aut cum Buechelero μή μ' ἱκετεύω scribendum atque ευ corripiendum aut cum Crusio μή μή ἱκετέω restituendum est. Nomen Κύδιλλ', quod V 60 secundum, V 41 quartum pedem efficit, υ productam exhibet, nisi forte etymon vocis aliud est quam κῦδος. — In quarta sede occurrit in papyro spondeus VII 102 κῆν τέσσαράς μοι δα|ρεικοὺς | ὑπόσχηται; tamen nomen nummi, multo usu tritum, ι correpta pronuntiatum esse videtur. In quarta sede versus II 91 οὐκ ἂν δικάζων βέλτιον δ[ι]ῄτησε vocalis ι ante ο corripitur. V 32 scribendum est ζήτριον, non ζήτρειον, cf. Choerob. Etym. Magn. s. v. Scriptor hic, ut alii, Herodam cum Herodoto confundit, quod indicare videtur genuinam formam nominis esse Herodam non Herondam. I 14 forma

ἰγνύων praeferenda est alteri ἰγνυῶν. In exitu versus IX 2 ...Εὐέτειραν καὶ Γλύκην[... interiisse videtur unus pes, non duo, ut Crusius putat, spatium enim ad duos pedes supplendos non sufficit).

In thesi sedis secundae et quartae satis raro admittitur correptio attica. Inter 51 exempla huius correptionis 28 ita sunt conformata, ut vocalis vocem claudat, muta cum liquida proximam exordiatur. Liquida ρ corripit quadragies bis, ν septies, λ bis, μ nullo loco. Quod ad mutas pertinet, 30 sunt tenues, 14 mediae, 7 aspiratae.

Versus, quorum quinta sedes spondeum praebet (ἰσχιορρωγικοί), non desunt apud Herodam. Ex 26 exemplis 6 inveniuntur in mimo secundo (9, 19, 26, 40, 41, 79), 5 in m. quinto (25, 44, 65, 68, 85) et sexto (16, 24, 29, 87, 88), 3 in m. tertio (65, 69, 76), 2 in m. primo (21, 32), quarto (6, 9), septimo (48, 122), 1 in octavo (19).[1] Praeterea in 21 versibus occurrit positio debilis (ρ decies septies, λ ter, ν semel).

Apud poetas tragicos si pes quintus spondeus est, thesis non potest esse exitus vocis polysyllabae. Herodas peccat contra hanc legem quinquies (III 69, 76, IV 9, V 85, VII 48); quater thesis est syllaba terminalis vocis bisyllabae (V 65, VI 16, 24, 29).

In prima et tertia sede spondeus multo frequentior est iambo. In prima sede spondeus occurrit circa quadringenties tricies quinquies (=63·5%), iambus circa ducenties vicies bis (=32·5%). Reliqui 28 pedes (=4%) sunt trisyllabi. In singulis mimis variat ratio: in tertio e. g. iambi efficiunt centesimas vicenas senas, in sexto quadragenas quinas i. e. spondeorum numerum fere exaequant. Positio debilis raro (circa decies) occurrit. — In tertia sede spondeus adhibetur circa quadringenties octogies bis (= c. 70%), iambus

---

[1]) III 58, quo loco papyrus in exitu praebet: Μητροτίμη ἐπεύχεο, suppletur μὴ ante ἐπ. — III 87 exitus versus est corruptus — VI 9 papyrus recte: ποεῖς λαμπρόν.

circa centies nonagies bis (= c. 28%). Reliqui 17 pedes (= c. 2%) sunt trisyllabi. In secundo mimo iambi efficiunt centesimas vicenas singulas, in quarto tricenas senas.

Positio debilis occurrit circa octies. In universum in utraque sede numerus spondeorum ita se habet ad numerum iamborum, ut 69 ad 31 i. e. spondeorum numerus altero tanto est maior. Eadem fere ratio occurrit in choliambis Babrii (Ficus p. 842).

III. Caesurae.

Herodas, sicut veteres choliambographi, n u l l u m versum s i n e caesura semiquinaria aut semiseptenaria admittit. Caesura semiquinaria est longe frequentissima ita, ut in c. 721 versibus vix 138 in quarto pede incidantur. Versus, qui caesuram semiseptenariam exhibent, undevicenas centesimas omnium efficiunt i. e. circiter quintus quisque versus in quarta sede inciditur. In c. 37 versibus caesuram semiseptenariam antecedit nomen proprium. Nonnumquam pes tertius leviter ita inciditur, ut praepositio compositi aut augmentum verbi thesim tertiam efficiat. Bis (I 69, 86) divisum est hoc modo vocabulum Δήμ.ητρα (acc.) in pristinas suas partes. [1]) Saepius versus et in tertia et in quarta sede inciditur. Caesura semiseptenaria frequentissima est in mimo quarto (26 in 94 versibus), ubi aedituus in gravi sua oratione (vv. 79—85) semper quartum pedem incidit.

---

[1]) I 69 in exitu versus papyrum: ἐγὼ 'ξ ἄλλης praebere puto; cf. VI 24 ἐκ τοῦ Κοριττοῦς στόματος οὐδὲ ̓ς μὴ ἀκούσῃ.



LIVIANUM.

SCRIPSIT

BRONISLAUS KRUCZKIEWICZ.



Locus Livi l. I c. 21 § 5, quo Numa, cum Camenis lucum sacrasset „et soli Fidei sollemne instituisse“ optimorum librorum consensu traditur, iam antiquitus criticorum nostri aevi curas exercuit. Haerebant autem viri docti in voce „soli“, quam dativum casum adiectivi „solus“ cum forma eiusdem casus „Fidei“ coniuncti esse sibi persuaserant. Vix enim e contextu sententiarum ratio reddi poterat, qua ductus Livius uni Fidei sive tantum Fidei sollemne a Numa institutum esse scripsisset, cum etiam aliis deis et singulis separatim et pluribus una sacra sollemnia ab eodem rege suscepta esse cum ex ipsius Livi narratione tum ex aliorum scriptorum testimoniis eluceret. Philologorum inde a saeculo XVI de hoc loco iudicia, quae repetere longum est, in editionis suae commentarium congessit Drakenborchius, unde paucos criticos textum traditum excusare conatos esse, plerosque mendosum esse pro certo habuisse apparet. Nostro saeculo unus, ni fallor, Raschigius in editione Berolinensi a. 1829 argumentis neque novis neque ad persuadendum aptis librorum fidei patrocinabatur, ceteri partim desperata medicina traditam versionem edebant (Madvigius et Ussingius, Alschefscius, Grysarus, Weissenbornius) partim quaedam supplenda esse coniciebant (F. Harder), partim Iusti Rycquii iudicium

secuti vocem „soli“ vitio in textum inlatam ideoque eiciendam esse censebant (M. Mueller, Zingerlius in edit. mai. a. 1888).

Quae cum ita essent, tamen animus mihi iam dudum eo inclinabat, quo ducit constans librorum memoria, suspicabarque locum non esse depravatum sed haud recte explicatum. Atque formam „soli“ non dativum adiectivi „solus“, sed genetivum esse substantivi „solium“, a quo pendeat genitivus „Fidei“, persuasum habeo idque idoneis argumentis probare conabor.

Primum ipsa forma „soli“, quae in codicibus constanter simplici littera *-i* hoc loco exarata esse videtur, non impedimur, quominus „soli“ pro genetivo substantivi „solium“ accipiamus, cum substantivorum secundae, quae dicitur, declinationis in *-ius*, *-ium* desinentium genetivum simplici littera *-i* usque ad Tiberi imperatoris tempora vulgo terminatum esse a scriptoribus Romanis satis constet (conf. Kuehneri Ausf. Grm. d. l. Spr. I, § 103 11 et 12). Neque id officit, si aliis locis in Livi codicibus eius modi genetivi formae ad posteriorum temporum normam duplici *-i* terminantur, quoniam ipsa falsa de formae „soli“ ratione opinio facile efficere potuit, ut hoc loco simplex *-i* a librariis retineretur.

Restat ut praesumpta huius loci ratio illustretur. Atque, — ut minus certam utpote suspicione sola fultam explicationem ad calcem huius dissertatiunculae relegem, — solium Fidei pro simplici Fide hoc loco Livius nuncupasse mihi videtur, quoniam, cum proximo enuntiato de loco, quo Fidei sacra fiebant, acturus esset, illius loci significatione iam hic animum praeoccupatum habuit; solium autem illum locum appellavit eadem fere ratione ductus, qua proximo enuntiato sacrarium usurpavit, neque enim satis certam speciem atque formam templi Fidei illius temporis, sed id solum animo tenebat illis antiquis Numae regis temporibus aedes sacras statuasve deorum vix tribui posse. Varro enim teste Scto. Augustino (de civ. D. IV, 31) docebat Romanos centum atque septuaginta annis post conditam urbem deorum simulacris

templisque caruisse (conf. Prelleri Roem. Mythol.[2] pg. 114). Neque ea pristini deorum cultus condicio Livio ignota fuisse videtur, qui cum lucorum, ararum, templorum fanorumque Romae deis dedicatorum iam trium primorum regum temporibus faceret mentiones, nusquam tamen de templis fanisve aedificatis ante Anci regnum narraret (conf. I, 33, 8). Ceterum quamquam Fidei populi Romani aedem satis amplam Ciceronis temporibus in Capitolio iuxta Iovis templum exstructam fuisse certum est, tamen eandem a M. Aemilio Scauro demum anno 109 a. Chr. n. vel certe circa eum annum dedicatam esse scimus (conf. Cic. de nat. deor. II, 23, 61); quando vero primum eius deae templum Romae aedificatum sit, nusquam traditur (conf. Annali dell' instituto di corrispondenza arch. a. 1858 pg. 202). Utut est, Livium de forma atque natura illius sacrari Fidei a Numa dicati nihil certi apud antiquos rerum scriptores invenisse opinor ideoque etiam Dionysius Halic. (Arch. rom. II, 75, 3) atque Plutarchus (Numa 16) nihil nisi Numam ἱερὸν Πίστεως ἱδρύσασθαι memoriae prodiderunt.

Ceterum cum solium sive ex etymologica sive ex logica ratione idem fere sit ac sedes vel Graecorum ἕδος, usurpatur tamen peculiariter de sede quadam augustiore deorum, regum, magistratuum principumque personarum. Atque prae ceteris de Iovis solio saepe scribunt auctores Romani, ut Horatius (Epist. I, 17, 34), Ovidius (Fast. VI, 353), Petronius (Sat. 51, 5), Suetonius (Calig. 54), Cicero autem (de harusp. resp. 27, 57) etiam in universum deorum solia eaque Romae dicata commemorat. Haud absurde igitur solium Fidei venerandae illius et arctis cognationis vinculis cum ipso Iove coniunctae deae, a Livio nuncupatum esse videtur.

Quin etiam suspicari possumus Romanos vetustum morem secutos Livi temporibus, cum de sacrario Fidei Capitolinae loquerentur, peculiariter solii Fidei significatione usos esse, aut fortasse sacro ipsi illius deae constanter sollemni solii Fidei nomen adtribuisse. Quod si ita fuisse demonstrari posset, nulla alia explicatione aut excusatione hic locus ege-

ret; certe ipsa haec coniectura a veritate non abhorret. Nam cum praeter fragmenta Fastorum Amiterninorum atque Ostiensium, quibus perbrevis memoria Calendarum Octobrium sacro Fidei Capitolinae destinatarum asservatur (conf. Corp. inscrip. lat. vol. I a Mommseno editi pg. 403), ceterorum Fastorum loci ad eundem diem spectantes deperierint neque in Ovidi Fastis is dies tractetur, reliqua, quae ad sacra Fidei Calendarum Octobrium pertinent, tam sunt exilia, ut illorum plenissimam memoriam hoc Liviano loco contineri contendere possimus.

Iam supervacaneum fere est monere in ipsa substantivi sollemnis cum genetivo solii coniunctione nihil esse, quod offendamus, si ipsius Livi similes locos (I, 9, 13; V, 52, 3) in memoriam revocabimus. Certe dativus „solio Fidei“ hoc loco sententiae rationi repugnat.

Adde quod ipsa proxima sententia „Ad id sacrarium cett.“ eo ducit, ut soli pro genetivo substantivi solium accipiatur, ita enim verba „id sacrarium“ sine ulla difficultate ad notionem voce „soli“ expressam referri possunt. Quod si non negaverim, quin etiam eiecta vel dativi vi accepta voce „soli“ attractione quadam pronominis, quam multis Livianis exemplis illustravit in commentario Mauritius Muellerus, sententiarum nexus excusari queat, nihilominus tamen hoc loco paulo durior mihi structura effici videtur eaque lenitur illa, quam proposui, vocis „soli“ explicatione.



Anonymi

De ortu et obitu Patrum.

Ex codice Veronensi

nunc primum edidit

ADAM MIODOŃSKI.

Studio philologiae promovendo qui operam navatis, tot terrarum nationumque viri humanissimi, cum Vindobonae conveneritis, cuius urbis Academia litterarum Hartelio auctore potissimo scriptorum ecclesiasticorum corpus cum magna cura ac diligentia fovet et auget, munusculum Vobis defero, quod, qualecumque sit, gratum acceptumque velim. Libellum dico: „De ortu et obitu Patrum", adhuc ineditum, quem una cum Bedae Martyrologio Blanchiniano codex membranaceus capituli Veronensis *(V)* LXV. 63. saec. X fol. 49^v — 57^v continet. Cf. Reifferscheid, Bibl. patr. I 98. In quo ortus, res gestae, anni aetatis et sepulcra Sanctorum Patrumque utriusque Testamenti numero sexaginta septem et Patriarchae duodecim in unum caput conlati laudantur ita, ut si similem librum Isidori „De ortu et obitu Patrum" (Patrol. 83, 129—156, nobis *Isid.*) comparaveris, opusculum nostrum cum Isidoriano artissime cohaerere facile tibi persua-

deas. Nam et res uberius ab Isidoro digestae in angustias paucarum chartarum coartantur, et singuli viri eodem ordine iisdemque saepissime verbis recensentur. Quae cum ita sint, fortasse cum Arevalo (Patrol. 81, 294 (34) M.) conieceris, opusculum nostrum ex Isidoriano excerptum esse. Atque qui huic opinioni accedet, Venerabilem Bedam suspicetur auctorem esse Excerptorum, siquidem idem codex Veronensis Martyrologium eius offert et ipse permultos flores ex diversis scriptoribus colligebat. Mihi arridet coniectura, Isidorum aut alium nescio quem Isidori hortatu opusculum hoc strictim et celeriter confecisse, ut lineamenta poneret, quibus postea auctior et emendatior liber Hispalensis episcopi innixus est. Comprehendit autem octoginta sex Patres et Sanctos, inter quos exstat etiam ab auctore brevioris libelli omissum Deiparae elogium.

Ordo virorum in cod. Veronensi indicatur litteris graecis in margine positis. Post elogium Titi sequitur (fol. 57 — 59r) aliud caput, quod inscribitur: „Item nomina eorum, quorum ignorantur sepulchra“ (Abel, Lot, Phinees et Machabaei septem fratres). Quae de Abel, Lot et Phinee proferuntur, ad verbum repetita sunt ex Isidoro (6. 20. 49), elogium vero Machabaeorum aliquatenus differt ab Isidoriano (*vid.* Isid. De ort. et ob. Patr. 105 adnot.).

Restat, ut moneam, me fere nullam rationem duxisse anonymi libri „De ortu et obitu Patrum“, quem Arevalus ex codice Regio-Vaticano inter opera spuria Isidori edidit (Patr. 83, 1275—1294). Qui variis pannis consutus „Isidoriano libro auctior est in multis capitibus, in aliis brevior, plura omittit, quaedam nova addit, et caret principio“ (Arevalus, Isidoriana, cap. 61, 48).

De ortu et obitu Patrum.

Adam, pater generis humani, Dei manibus ex terra creatus, vixit annis nongentis triginta, sepultus in Cariath Arbe, quae distat ab Hierusalem viginti duobus milibus ad australem plagam.

Enoch, septimus ab Adam, post annos trecentos sexaginta quinque reductus est vivens in paradisum, in finem saeculi mortem cum Helia passurus.

Noe, filius Lamech, decimus ab Adam, sexcentesimo aetatis anno arcam ingreditur; nongentesimo quinquagesimo defunctus est.

Melchisedech, rex Salem, quem dicunt Hebraei esse Sem filium Noe, positus est in civitate sua, quae tunc Salem, postea Iebus, nunc Hierosolyma dicta est.

De ortu et obitu Patrum] Incipit de ortu et de obitu patrum *V*.

Adam. pater: princeps Isid. 2 — Dei... creatus] *absunt ab Isidoro*; *cf*. Gen. 2, 7 formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae; Tob. 8, 8 Tu fecisti Adam de limo terrae. Ps.-Cyprian. De mont. Sina et Sion 4: Hebreicum Adam in Latino interpretat „terra caro facta". Ps.-Cypr. De pasch. comp. 21 sic plasmatus est Adam de terra. — vixit a. n. t.] Isid. 4 post cursum annorum nongentorum triginta rediit; *cf*. Ps.—Cypr. De pasch. comp. 12 p. 260, 16 H. — Cariath Arbe] cariatharbę *V* *sic semper*; Isid. 5 sepultus est autem in loco Arbee; *cf*. Ios. 14, 15 nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe; Adam maximus ibi inter Enacim situs est. Hieron. epist. 108, 11 ascendit Chebron, haec est Cariath-arbe, id est, oppidum virorum quatuor, Abraham, Isaac, Iacob et Adam magni. *Cf. idem* De situ loc. Hebr., Gen. s. v. Arboc.

Enoch. Enoc *V* — finem] *sic V* — post annos... passurus] *cf*. Isid. 7 (Enoch) meruit in eum locum transferri vivens unde fuerat protoplastus (*i. e.* Adam) expulsus. Sublatus est autem annorum trecentorum sexaginta quinque. Manet autem hactenus in corpore; in consummatione mundi restituet cum Elia mortalem vitae condicionem.

Noe, sexcentesimo... ingreditur] *cf*. Gen. 7, 6, 11. *Numerum annorum hic omisit Isidorus, posuit Chron. 6 (a. 2242)* — nongentesimo... est] Isid. 9 hic nongentesimo quinquagesimo anno mortuus est.

Melchisedech. hebrei *V* — quem... Noe] Isid. 10 hunc esse aiunt Hebraei Sem primogenitum Noe — hierosolima *V* — positus est..,

Abraham, filius Thare, pater gentium, natione Chaldaeus, obiit centum septuaginta quinque annorum, sepultus in Hebron, quae quondam Cariath Arbe, id est civitas quattuor appellabatur, eo quod ibi tres patriarchae et Adam protoplastus sepulti sunt.

Isaac, filius Abraham, natus in Geraris, obiit centum octoginta annorum, sepultus iuxta patrem suum.

Iacob, filius Isaac, natus in terra Chanaan, obiit in Aegypto annorum centum quadraginta septem, sepultus in Cariath Arbe in spelunca duplici.

Ioseph, filius Iacob, obiit in Aegyptum centum decem annorum; cuius ossa transtulerunt filii Israel in Sichem, civitatem patris sui, quae nunc vocatur Neapolis, urbs Samaritanorum.

Patriarchae duodecim, nati in Mesopotamia, conditi sunt in Aegypto, sed postea egredientibus filiis Israel ex Aegypto positi sunt omnes in Sichem, ut Hieronymus refert.

---

dicta est] Isid. 12 hic... urbem Salem condidit, in qua etiam et regnavit, quae postea Iebus sive Solyma dicta est, et nunc derivato vocabulo Ierosolyma vocitatur: vixit annis sexcentis... ac sepultus in civitate sua Ierusalem. *Anni vitae desiderantur apud Anonymum.*

Abraham. tharę *V* — ebron *V* — protoplaustus *V* — Hebron] *locum accuratius describit Isid. 15* sepultusque est in agro Ephron in spelunca duplici... distat autem hic locus... septimo ab urbe Hebron stadio. — quae quondam Cariath Arbe... sepulti sunt] *cf.* Isid. 5 (Adam).

Isaac. natus in Geraris] *cf.* Gen. 20, 1. 2; Isid. 17 in terra Chanaan genitus.

Iacob. sepultus in Cariath Arbe in spelunca duplici] *cf.* Isid. 15 et Hieron. epist. 108, 11. Isid. 19 (Iacob) sepultusque est cum patribus suis (*i. e.* Abraham, Isaac).

Ioseph. in Aegyptum] *sic V. Sequuntur apud Isidorum*: Iudas, Ruben, Simeon, Levi, Zabulon, Issachar, Dan, Gad, Aser, Nephthalim, Beniamin, Ephraim et Manasses, *quorum loco Anonymus haec exhibet*: Patriarchae... refert.

Patriarchae. ut Hieronymus refert] Hieron. epist. 108, 13 transivit Sichem... atque inde divertens, vidit duodecim Patriarcharum sepulcra.

Iob, exemplar patientiae, post plagam vixit annos centum septuaginta, obiit annorum CCLXXIII, sepultus in regione sua Hus.

Moyses, filius Amram, ex tribu Levi, XL annos in Aegypto, XL in Madian, XL in deserto; obiit in monte Abarim, sepultus a Domino in valle Moab, quae est in Arabia.

Aaron, frater Moysi, sacerdos in lege primus, obiit annorum CXXIII, sepultus in monte Hor, qui est iuxta Petram, urbem Arabiae.

Iosue, filius Nun, ex tribu Ephraim, obiit annorum C, sepultus in Thamnathsara civitate sua.

Gedeon, filius Ioas, ex tribu Manasse, obiit senex sepultus in sepulchro patris sui in Ephra.

Iephte, iudex Israel, ex tribu Galaad, requiescit in civitate sua Galaad, quae est in dimidia tribu Manasse.

Samson, filius Manue, ex tribu Dan, requiescit in sepulchro patris sui in civitate Estahol, qui est in tribu Iuda.

Iob. exemplar patientiae] *ex* Hieron. epist. 53, 8 (ad Paulinum). — vixit annos centum septuaginta obiit annorum CCLXXIII] *uterque numerus sine dubio corruptus est*; *cf.* Isid. 38 vixit autem (*sc.* Job) post plagam centum quadraginta annis (=Vulg. Iob. 42, 16) et fuerunt omnes dies vitae eius ducenti quadraginta octo anni.

Moyses. amrum *V*.

Iosue: Iosuae *V* — non *in* nun *corr. 1. m.* — effraim *V* — obiit] occubuit Isid. 48 — annorum C] Isid. 48 centum et decem annorum, *item* Ios. 24, 29 — sepultus] est *add. int. vers. 2. m.* — Thamnathsara] thamnatsara *V*, *cf.* Ios. 19, 50 Thamnath Saraa; Tamnathsare Isid. 48, *ut* Ios. 24, 30 Thamnathsare=Hieron. epist. 108, 13.

Gedeon. tribu] tribus *in* tribu *corr.* 1. *m.* — obiit] mortuusque est Isid. 50 — Ephra] effratha *V*; *Gedeon mortuus est in Ephra (Jud. 8, 32. Isid. 50), Ephrata autem est Bethleem, cf. Gen. 48, 7. Mich. 5, 2. Isid. 56. Hieron. Hebr. quaest. in Gen. XXXV 16.*

Iephte. Iepthe *V* — ex tribu Galaad *scripsi* (Galaadites Isid. 51, Iud. 11. 1); ex tribu Gath (Gad? Geth?) *V*.

Samson. manue *V*, ue *in ras.* 1. *m.* — requiescit] positus est Isid. 53 — qui (quae Isid. 53) *sc.* civitas, *ut francogall.* qui; *cf.* Anon. Adv. aleat. 2, 6 ovium qui, 5, 3 temptationes quorum, 6, 5 = 9, 3 manus qui, 9, 3 ars qui.

Samuel propheta, filius Helcana, de tribu Ephraim, requiescit in civitate sua Ramatha, quae est secus Bethleem.

David rex, filius Iesse, de tribu Iuda, natus in Bethleem, VII annis in Hebron et XXXIII annis regnavit in Hierusalem, obiit LXX aetatis anno, sepultus in arce Hierusalem, quae est civitas David.

Salomon, filius David, natus in Hierusalem, XLmo regni sui anno, quinquagesimo aetatis obiit in Hierusalem.

Helias Thesbites, sacerdos magnus atque propheta, igneo curru levatus est in caelum, mortem in fine mundi ab antichristo passurus.

Helisaeus Heliae discipulus, ex Abelmuth oppido, ex tribu Ruben, requiescit in Sebaste civitate, quae quondam Samaria dicebatur.

Esaias, filius Amos, natus in Hierusalem, socer Manasse, qui eum extensum a vertice per medium secavit. Iacet sub quercu Ragel.

Samuel. Helcana] helthana *in* helchana *corr.* *2. m.* — de tribu] ex tribu Isid. 54 — effraim *V* — requiescit] sepultus est Isid. 55 — in civitate sua Ramatha] *I Reg. 28, 3* sepelierunt eum (*sc.* Samuel) in Ramatha urbe sua; *Isid. 55* in vico suo Ramatha — secus Bethleem (bethlem *V*)] in Bethlehem *Isid. 55.*

David. de tribu] de genere Isid. 56 — bethleem *in* bethlem *corr.* *2. m.* — in hebron] in *2. m. in marg.* — etatis anni *in* ętatis anno *corr.* *2. m.* — VII annis in Hebron] *I Par. 29, 27* et dies, quibus regnavit (*sc.* David) super Israel, fuerunt quadraginta anni; in Hebron regnavit septem annis, et in Ierusalem annis triginta tribus. *Isid. 57* quadragesimo regni... anno diem vitae supremum consummavit.

Salomon. quinquagesimo] *Isid. 60* quinquaginta et duobus (*sc.* annis) aetatem peregit.

Helisaeus. Heliseus *V* — Abelmuth] *ut Ps.- Epiphan. de proph. 6* (Patrol. gr. 43, 396 M.) οὗτος (Ἐλισσαῖος) ἦν ἐξ Ἀβελμούθ; Abel Meula *Isid. 65*; Abelmehula *III Reg. 19, 16* — in Sebaste... dicebatur] *cf.* Hieron. epist. 108, 13 Sebastem, id est Samariam, quae in honorem Augusti ab Herode Augusta est nominata. Ibi siti sunt Elisaeus et Abdias prophetae; *Isid. 68* cuius sepulcrum usque hodie in Sebastia civitate ostenditur.

Esaias. manase *V* — rogel *V*, Ragel *Isid. 72.* Rogel *est nomen fontis in tribu Beniamin*; *cf. II Reg. 17, 17*, *alia.*

Hieremias, ex tribu sacerdotali, ortus in vico Anatoth, qui est tribus milibus ab Hierusalem; in Aegypto lapidatur a populo, sepultus in eo loco, ubi Pharao rex Aegypti habitavit.

Hezechiel, filius Buzi, sacerdos, cum Ioachim Babyloniam ductus, a duce populi Israel interfectus est. Sepultus a populo in agro Maurim, in sepulchro Sem et Arfaxad.

Daniel, de tribu Iuda, sub Ioachim adductus in Babyloniam, vixit usque ad tempus Darii regis annis CX, sepultusque est in spelunca regia.

Osee, de tribu Isachar *ortus* in Belemoth, in terra sua requiescit.

Iohel, de tribu Ruben, natus in agro Bethoron ibique sepultus est.

Amos, pastor, ex oppido Thecue, quod distat ad australem plagam VI milibus contra Bethleem. Prophetavit in Samaria; quem Ozias filius Amasiae vecte per tempora transfixo necavit et semivivus patriam devectus ibique sepultus est.

Abdias, de terra Sichem, ortus in agro Bethacaram, requiescit in Samaria, quae nunc Sebaste dicitur.

Ionas, filius Amathi, de Geth, quae est in Opher, ubi et sepulchrum eius ostenditur.

Hieremias. Anatoth] anatoh *V* — farao *V*.

Hezechiel. filius] fius *V* — Babyloniam] in Babyloniam *Isid. 75* a populo] a *int. vers. 1. m.* — Arfaxad] arfaxatd (*sic*) *V*.

Osee. oseę *V* — ortus *addidi*, *cf.* Isid. 79 — bethlemoth *V*.

Iohel. Bethoron] Betheron *Isid. 80*.

Amos. opido *V* — VII milibus *V*: VI milibus *scripsi*, *cf.* Isid. 81 et Hieron. in Amos, prol. (Patr. XXV 1038 M.): fuit (Amos) de oppido Thecue, quod sex milibus ad meridianam plagam abest a sancta Bethleem. — tempora *in* timpora *mutavit 2. m.* — patriam *sine* in *V* (*cf.* Zacharias) — *In extrema parte capitis anacoluthon neminem fugit.*

Abdias. Bethacaram] Bethacar *V*, *cf.* Isid. 83 — in Samaria... dicitur] *conf. udn. ad Helisaeum*; in Sebastia *Isid. 83*.

Ionas. Amathathi *V*; Amathi *scripsi*, *ut* Isid. 84 et 4 Reg. 14, 25; Ion. 1, 1. — Opher] Ofir *V*

Michaeas, de tribu Ephrem, in Morasti ortus, sub Ioram filio Achab de praecipitio missus occubuit. Sepultus in terra sua iuxta Polyandrum, quod est iuxta Naim.

Naum, de tribu Simeon, trans Betharim natus est et sepultus.

Abacuc, de tribu Simeon, in agro Bethraca ortus, in agro Sebaste defunctus est.

Sophonias, filius Chusi, de tribu Simeon, *in* agro Sarabath natus ibique sepultus est.

Aggaeus, ortus in Babylonia, iuvenis venit Hierosolyma, et iuxta sacerdotum monumenta sepultus est.

Zacharias, de Chaldaea, senex in patriam reversus, iuxta Aggaeum sepultus est.

Malachias, post regressum populi natus in Sophi, iuvenis moritur atque in suo conditur agro.

Nathan propheta *doctor* David regis, ex Gabaonitis ortus, senex in terra sua defunctus atque sepultus est.

Achias Silonites de civitate Heli, requiescit iuxta quercum in Silo.

Michaeas. Micheas *V* — effrem *V* — morasti *V*: Morasthi *Isid. 86* — praecipitio] precipio *V* — Polyandrum] poliandum *V* — Naim: naum *V*.

Naum. Betharim] batharim *V*.

Abacuc. Abbacuc *V* — Bethraca *V*: Bethsachar *Isid. 88* — Sebaste] Sabarith *Isid. 88. Ceterum moneo, sepulcrum Abacuc diversis locis monstratum esse, ut in villa Cela et in Gabaath* (*Hieron. De situ loc. Hebr., De libr. Ies. s. v. Ceila, Gabaath*).

Sophonias. Sofonias *V* — *in* agro] agro *V*, in *addidi* — Sarabath *Isid. 89*: saruba *V*.

Zacharias. Chaldaea] caldea *V*.

Malachias. regressum *V*, *cf.* Ps.- Epiphan. de proph. 22 οὗτος (Μαλαχίας) μετὰ τὴν ἐπιστροφὴν τοῦ λαοῦ τὴν ἀπὸ Βαβυλῶνος τίκτεται ἐν Σοφᾶ; *Hieron. in Malach., prolog.* (*Patrol. XXV 1617—1618*); egressionem *Isid. 92* — Sophi *V*, *quod vulgaris pronuntiationis ratione habita idem est atque Sophe* = Sophae (*cf.* Epiph. ἐν Σοφᾶ); in Sophia *Isid. 92*.

Nathan. *Post* propheta *in V ras. 2 litterarum*; *supplevi* doctor, *nam* „*David regem legem Dei docuit Nathan*“ (Isid. 93).

Iaddo, qui, ad Hieroboam missus, a leone necatur. In Samaria natus, in Bethel sepultus.

Azarias in terra Sabatha ortus est atque sepultus.

Zacharias, filius Ioiadae sacerdotis, a rege Ioas lapidatus, iuxta patrem suum est sepultus.

Tobias, ex tribu Nephtalim, de civitate Cibel, quae est in Galilaea, captivatus a Salmanasar, in Nineven est sepultus in pace.

Tres pueri, qui fornacis incendia vicerunt, iacent in Babylonia sub uno specu positi.

Esdras, sacrae reparator historiae et populi reductor ex Chaldaea, requiescit in Hierusalem.

Zorobabel et Neemias, ex tribu Iuda, requiescunt et ipsi in Hierusalem.

Hester regina, filia fratris Mardochaei, captivata de Hierusalem, requiescit in Susis, urbe Medorum, ubi et regnavit.

Iudith, filia Merari, de tribu Simeon, vixit annos centum quinque, sepulta in spelunca viri sui Manasse in Bethulia civitate, in tribu Iuda.

Zacharias et Helisabeth, parentes Iohannis Baptistae, requiescunt in Hierusalem.

Iohannes Baptista, ex tribu Levi, decollatus ab Herode, requiescit in Sebaste, urbe Palaestinae, quae quondam Samaria dicebatur.

Iaddo. Iaddo *V*, *vulgo* Addo.

Azarias. Sabatha *Isid. 96*: sublatha *V*.

Tobias. Nephtalim] nepthalim *V* — Cibel] cihel *V* — in Nineven] in Ninive *Isid. 98*; *forma* Nineve *praeferenda est*, *cf. gr.* Νινευῆ, *August. de civ. d. 16, 31 p. 126* (*Domb. 2. ed.*) *passim*, *Hieron. de sit. loc. Hebr. s. v. Nineve.*

Esdras. Esdra *V* — reparator] *cf.* Hieron. de perpet. virg. 7 (Patrol. XXIII 190) sive Moysen dicere volueris auctorem Pentateuchi, sive Ezram eiusdem instauratorem operis; *Isid. 101* (Esdras) sacrae scriptor exstitit historiae.

Iudith. Bethulia] *abiit in V in* bacui.

Simon Petrus, filius Iohannis, ortus vico Bethsaida provinciae Galilaeae, post apostolatum Antiocensis Romanaeque ecclesiae XXXVII-mo anno post Domini passionem a Nerone crucifigitur; sepultus in Vaticano secus viam Triumphalem, tertio lapide ab Urbe.

Paulus, qui ante Saulus, ex tribu Beniamin, gentium apostolus, cum Barnaba electus, et ipse a Nerone decollatur; sepultus *in* via Ostiensi, tertio ab Urbe miliario.

Andreas, frater Petri, Scythiae Achaiaeque praedicans, in Patras civitate Achaiae crucifixus est ab Aegea proconsule.

Iacobus, filius Zebedaei, evangelizans Hispanis, ab Herode rege gladio caesus est, sepultus in Achaia Armarica.

Iohannes evangelista, frater Iacobi, praedicans in Asia, post passionem Domini anno LXVIII sub Traiano principe requievit in Epheso.

Iohannes Baptista. Iohannis *in* Iohannes *2. m.* — in Sebaste *Isid. 110* in Sebastia.

Simon Petrus. Symeon *V* — ortus vico] ortus in vico *Isid. 113* — Romanaeque *ex* Romae quae *corr. 2 m.* — XXXVIImo] sexto et tricesimo anno *Isid. 117. Cf.* Hieron. de vir. ill. 1.

Paulus. cum Barnaba electus] *verba absunt ab Isidoro, occurrunt apud Hieron. de vir. ill. 5*: (Paulus) iuncto sibi Barnaba multis urbibus peragratis; *idem ep. 53, 2* Paulus... assumpto Barnaba et Tito — *addidi* in *ante* via, *cf.* Isid. 123 in via — Ostiensi] Ostensi *V* — ab urbem *in* ab urbe *corr. 1. m.*

Andreas. ab Aegea proconsule] Ps.- Sophron. De vit. apost 1 (Patrol. lat. XXIII 762) (Ἀνδρέας) σταυρῷ παραδοθεὶς ὑπὸ Αἰγέα τοῦ βασιλέως Ἐδεσσηνῶν.

Iacobus. ab Herode rege] ab Herode tetrarcha *Isid. 125.* — in Achaia Armarica] *V*: in Marmarica *Isid. 125. De nomine huius loci adhuc sub iudice lis est (conf. Isidoriana LXI, Patrol lat. 81, 384). Ex forma* Armarica *eruendum fortasse* Armorica (= Aremorica) *ita, ut ad locum ad mare vergentem referatur.*

Iohannes evangelista. anno LXVIII] *ut* Hieron. adv. Iovin. 1, 26 (col. 259 M.) ut autem sciamus Ioannem tunc fuisse puerum, manifestissime docent ecclesiasticae historiae, quod usque ad Traiani vixerit imperium, id est, post passionem Domini s e x a g e s i m o o c t a v o anno dormierit. *Isid. 129* anno s e x a g e s i m o s e p t i m o.

Philippus a Bethsaida, civitate Andreae et Petri, Gallis praedicans, deinde Hierapoli Phrygiae crucifixus, lapidatus et recto sepultus cadavere, simul cum filiabus suis ibidem requiescit.

Thomas, cognomento Didimus, Parthis, Medis, Persis, Hyrcanisque ac Bactrianis evangelizans, lanceis transfixus occubuit in Calamina, civitate Indiae, ibique sepultus est.

Bartholomaeus apostolus, Lycaoniae praedicans, apud Indos evangelizans, ad ultimum in Albano Maioris Armeniae urbe vivens a barbaris decoriatus sicque terra conditus est.

Matthaeus evangelista, cognomentum Levi ex tribu Levi suscipiens, primum in Iudaea, postmodum in Macedonia praedicavit. Requiescit in montibus Parthorum.

Iacobus Alphaei, frater Domini cognominatus, praedicans Christum in Hierusalem de templo a Iudaeis praecipitatus et lapidibus oppressus, iuxta templum humatus.

Iudas, Iacobi frater, in Mesopotamia atque interioribus Ponti evangelizans, requiescit in Nerito Armeniae urbe.

Matthias, de LXX discipulis unus, pro Iuda Scariothe ab apostolis electus, evangelizat in Iudaea.

Simon Chananaeus, praedicans Aegyptiis et post Iacobum cathedrae Hierosolymorum praesidens, annorum CXX sub Traiano crucifixus requiescit in Bosphoro.

Philippus. Hierapoli Phrygiae] *Isid. 131* in Hierapoli Phrygiae provinciae urbe.

Bartholomaeus. armoeniae *V* — sic quae *V*.

Matthaeus. Matheus *V* — cognomentum *scripsi*: cognomento *V* — machedonia *V*.

Iacobus. Iacob:] *V*.

Iudas. messopotamia *V* — Nerito *V et nonnulli codices Isidori, alii* Berytho — armoeniae *V*.

Matthias. Mathias *V* — Scariothe *in ore vulgi pro* Iscariothe.

Simon Chananaeus. Bosphoro *ex* Bosphorum *corr. 1. m.*

Lucas. LXXXIIII annorum] Hieron. exp. in Luc. praef. (Patrol. XXX 586 M.): Lucas... nunquam habens uxorem, LXXXIIII (*sic legendum pro* LXXXIII) annorum obiit in Bithynia. *Eadem verba habes apud Hie-*

Lucas evangelista, natione Syrus, Pauli comes individuus, LXXXIIII annorum obiit in Bithynia, cuius ossa regnante Constantino Constantinopolim sunt translata.

Marcus evangelista et Petri in baptismate filius, cathedram Alexandriae regens septimo Neronis anno decessit placida quiete sepultus.

Barnabas, qui et Ioseph, natione Cyprius, primum cum Paulo evangelizans, postea praedicavit Cypro.

Timotheus, Ephesiorum episcopus, de civitate Listrensium, patre Graeco, matre autem Iudaea, requiescit apud Ephesum in monte, qui vocatur Phion.

Titus, Pauli discipulus, et in baptismate filius, natione Graecus, Cretensium episcopus missus ibidem requiescit in pace.

---

ron. de vir. ill. 7 (Lucas) sepultus est Constantinopoli, vixit octoginta et quatuor annos, uxorem non habens. *Quae cum in antiquissimis codicibus Hieronymi non inveniantur, suppositicia esse patet. Anonymus igitur interpolato nescio quo libro Hieronymi usus est.* Isid. 144 obiit (Lucas) septuagesimo quarto vitae suae anno. *Ps.- Isid. De ortu et ob. Patr. 55 (Patr. 83, 1293)*: (Lucas) LXXIV annorum obiit in Bethania (*sic*) — regnante Constantino] *ut Isid. 144. Praevalet tamen opinio, cui etiam idem Isidorus (Chron. 100) accedit, reliquias Lucae Constantio imperatore Constantinopolim esse translata. Cf. Hieron. de vir. ill. 7, idem Adv. Vigilant. 5 et adnot. in Fabricii Biblioth. eccles. p. 48—50.*

Marcus. septimo Neronis anno] *Isid. 146* octavo Neronis anno, *item* Hieron. de vir. ill. 8 — decessit *ex* decessi *2. m. corr.* — quiete sepultus *ex* quietere pultus *2. m.*

Timotheus. Listrensium] *Isid. 148*; terrentisu *V*, *post* su *ras. 2 litterarum*; *civitas dicitur* Lystra — Phion] *Isid. 149*: phien *V* — *Subscriptio abest.*



Quaestionum Valerianarum specimen

scripsit

Casimirus Morawski.

De misera et tristi condicione, quam imperatoris Tiberii aevo litterae Romanorum subierunt, cum scriptorum exilis numerus, tum eorum quoque, qui illa aetate aliquid composuere, ingenia et proprietates luculenter testantur. Nam in poesi excolenda homines illius temporis fere nihil memoria digni praestiterunt; qui vero soluta oratione vires suas sunt experti, liquidum et sincerum scribendi genus aversati rhetorum artificiis et fucis exornabant sua opuscula, quo et narrationis exilitatem obtegerent et lectorum devincirent animos. Tumido igitur et inflato stilo indulgentes ingenii defectum ingenii adfectatione compensare sunt conati atque ut declamatorum scholis, quae iis ansam scribendi dederant, novas praeberent materias et exempla, summo cum studio elaborarunt. Quantopere aetas illa historicorum arti promovendae infesta fuerit et adversa, Cremutii Cordi accusatio et mors, a Tacito vividis coloribus descriptae, diserte declarant; unde non est mirum, quod rerum gestarum scriptores, ne in idem atque Cremutius periculum incurrerent, aut remotas tractabant materias et ab omni offensione alienas aut temporum recentiorum narrationem adulatione et blanditiis adspergebant, animum principis sibi conciliaturi. A quo quidem crimine, qui Velleium et Valerium Maximum vindicare conati sunt,

eos equidem operam et oleum perdidisse opinor; aliquam tamen excusationem inde peti posse concedo, quod opus periculosae plenum aleae aetate Tiberii magis periculosum exstitit, quam fuerat Augusto imperium obtinente.

Qui scriptores, cum uno eodemque viguerint tempore, praeterea et ingeniorum quadam affinitate et sermonis, quo uterque est usus, similitudine arte inter se cohaerent; rhetorum enim schola et stilum eorum formavit et varias sententiolas iis suppeditavit. Attamen, cum Velleius aetate et tempore, quo opusculum suum perfecit, Valerium praecedat, cum quidem ille anno tricesimo post Christum natum rem absolverit, Valerius vero post Seiani miserabilem exitum adhuc scribendo vacarit et tum demum summam operi imposuerit manum, operae pretium est inquirere, quaenam ratio inter utrumque scriptorem intercedat, num in factorum et rerum memorabilium libris vestigia quaedam imitationis Vellei deprehendi possint. Quam quidem quaestionem ipse iam aliquot verbis perstrinxeram in dissertatione quam in Actis gymnasiorum Austriacorum *(Zeitschrift für oest. Gymn. 1893, Februar)* impressam invenies; nunc tamen rem et accuratius tractare et primoribus labris delibatam materiam diligentius excutere in animo est.

Cum Velleius in historia Romana enarranda id consilii sit persecutus, ut singulorum virorum indolem, mores et res gestas illustraret, evasit inde ampla narratiuncularum collectio, quae et scholis subministrare exempla et Valerio Maximo eiusmodi rerum curioso scrutatori usui esse posset. Similes igitur vel easdem materias utrumque auctorem tractantem saepius deprehendes; neque tamen ille consensus satis firma praebebit argumenta, quibus inniso alterum auctorem ab altero pendere pro certo statuere liceat.

Ita quidem in comparationem vocari possint, quae Velleius II, 5, 2 et Valerius Maximus II, 7, 10 de Q. Metello Macedonico et disciplina eius militari enarrant; item quae uterque auctor (Vell. II, 32, 1 — Val. VIII, 15, 9) de Q. Catulo et auctoritate, qua hic vir apud populum fruebatur,

tradidit; eorum denique, quae apud Velleium II, 42, 3. de Caesare a piratis capto leguntur, similia invenies apud Valerium VI, 9, 15. Quo quidem loco etiam sermonis quaedam notetur congruentia; Velleiana enim narratio his terminatur verbis: „omnis quos ceperat, suffixit cruci“, cum apud Valerium im fine ipso legimus: „continuo enim captos praedones crucibus adfixit“. Attamen illa similitudo nihil nos moratur; optimo enim iure communem fortasse fontem, ex quo uterque auctor hauserit, talia et Velleio et Valerio suppeditasse suspicari possis. Quod idem de reliquis locis est statuendum; etenim artioris cuiusdam communitatis indicia prorsus hic desiderantur.

His igitur missis ad alia et graviora transeamus. Quae ab utroque auctore de Sulla traduntur, in iis tam mirus est consensus, ut hoc quidem loco dubitari iam nequeat, quin Valerius vestigia presserit Vellei. Nam verbis Vellei, quibus in describendis Sullae moribus et indole usus est, prorsus respondent quae apud Valerium leguntur. Cf.:

Vell. II, 17, 1: L. Cornelius Sulla, vir, qui neque ad finem victoriae satis laudari, neque post victoriam abunde vituperari potest.	Val. Max. IX, 2, 1: L. Sulla quem neque laudare neque vituperare quisquam satis digne potest, quia dum quaerit victorias, Scipionem, ... dum exercet, Hannibalem repraesentavit.

Cuius crudelitatis exemplis allatis pergit eodem loco Valerius: „nec contentus in eos saevire, qui armis a se dissenserant, etiam quieti animi cives.. proscriptorum numero adiecit...“, qua in re commemoranda videtur denuo exscripsisse Velleium, apud quem II, 28, 4 prorsus similia leguntur: „nec tantum in eos qui contra arma tulerant, sed in multos insontis saevitum.“ — Duplex igitur et varia Sullae indoles, quam in transcursu adumbraverat Sallustius de bello Iug. c. 95, a posterioris aevi auctoribus accuratius est depicta, utpote quae occasionem praestaret in crudelitatem in-

vehendi et locos communes inserendi, in scholis tritos et pervulgatos.

Perinde atque hic locus ea quoque quae de Gracchis uterque auctor perscripsit, suspicionem movent, Vellei narrationem obversatam esse Valerio. In iis enim, quae sequuntur, cum sententiam esse eandem, tum sermonem notas quasdam communes similitudinis exhibere facile concedes.

Cf. Vell. II, 6, 2: Qui cum summa quiete animi civitatis princeps esse posset.. nihil tranquillum, nihil quietum... relinquebat. Ib. II, 6, 7: qui si civilem dignitatis concupissent modum, quidquid.. adipisci gestierunt, quietis obtulisset respublica.	Val. Max. VIII, 10, 1: C. Gracchus... cum optime rempublicam tueri posset, perturbare impie maluit.

Singulae porro voces, nonnunquam paulo insolentius usurpatae idem arguunt et indicant. Nimium fuisse Velleium in quibusdam vocabulis iterum iterumque proferendis, praesertim iis, quorum usus apud poetas aetatis Augusteae et apud Livium increbruerit, ex qualibet pagina eius operis perlecta elucet atque a viris doctis, qui de eius sermone egerunt, abunde probatum est Horum vocabulorum indici adnumeranda est vox m i n i s t e r i i, saepenumero apud Velleium occurrens atque hoc sensu posita, ut quaelibet curationes publicae ea designentur. Cf. Milkau: de Vellei Paterculi genere dicendi Regim. 1888 p. 80. Non minus autem frequentem huius vocabuli usum apud Valerium deprehendimus; hic tamen observatiunculam quandam singularem proferemus, quae rei, quam probare volumus, nonnihil ponderis est additura. Velleius de Catonis expeditione Cypriaca disserens, bis eam m i n i s t e r i i designavit titulo. Cf. II, 38, 6: Cyprus... ministerio Catonis provincia facta est. II, 45, 4: idem P. Clodius in tribunatu sub honorificentissimo ministerii titulo

M. Catonem a republica relegavit. Sequitur apud Velleium eorum, quae Cato in insula egerit, enarratio. — Velim nunc animadvertas, Valerium Maximum de Cypro subacta loquentem eadem voce esse usum; cf. IV, 3, 2: M. Catonis (scil. abstinentiae) testis Epiros... provincia Cypros. unde cum pecuniae deportandae ministerium sustineret... Res vero eo gravioris est momenti, quod narrationes Vellei et Valerii de reditu Catonis arto similitudinis vinculo inter se iunctae esse videntur. Cf. Vell. II, 45, 5 et Val. Max. VIII, 15, 10.

In morte Ciceronis deploranda nimis sibi uterque auctor indulsit, quia haec materia in declamatorum scholis decantata rhetoribus huius aevi valde arridebat atque rerum gestarum scriptoribus laetam evagandi praestabat occasionem. Ac Velleius quidem nenia sua absoluta haec addidit II, 67, 1: huius totius temporis fortunam nec deflere quidem quisquam satis digne potuit. Apud Valerium vero V, 3, 4 aeque miserabilem legimus clausulam, quae declamatori cuilibet et Velleio ipsi unice placuisset; „qui talem, inquit, Ciceronis casum satis digne deplorare possit, alius Cicero non exstat." [1])

Perlustravimus igitur aliquot Velleiani operis librorumque Valerii particulas, quae miro consensu, qui non minus ad res narratas, quam ad sermonis formam pertinet, inter se cohaerere videntur. Idem quoque statui potest de laudibus, quas uterque scriptor Augusto et Tiberio, consortione imperii iunctis tribuit. Cum enim Velleius Tiberium „alterum reipubli-

---

[1]) Non praetermittendum esse puto utrumque auctorem in exitu Ciceronis plangendo similia protulisse antitheta, quae scholam eiusque flosculos prorsus redolerent. Cf.

Vell. II, 66, 2: abscisaque scelere Antoni vox publica est, cum eius salutem nemo defendisset, qui per tot annos et publicam civitatis et privatam civium defenderat.	Val. Max. de C. Popilio haec profert V, 3, 4: neque enim scelestum portanti onus succurrit illud se caput ferre quod pro capite eius quondam peroraverat.

Invenies quoque similia apud Senecam in Suasoria sexta.

cae lumen et caput“ (II, 99, 1) nuncuparit, Valerius Maximus simili adulandi studio abreptus „duobus rei publicae divinis oculis“ (IV, 3, 3) tertio loco Drusum Germanicum socium addere non dubitavit.

Singulas tamen proprietates sermonis horum auctorum accuratius recensere neque huius loci est neque propositi mei; nonnullae similitudines inde sine dubio manarunt, quod illi uno eodemque vixerunt aevo et eum loquendi modum sunt amplexi, qui a Livio in litteras Romanas illatus in argentea quam dicimus Latinitate firmas egit radices. Missum igitur facio, quod uterque scriptor nonnullas locutiones, ut speciosus pro solito adiectivo pulcher (cf. Novák, Grammatická... pozorování u Velleja, Pragae 1892, p. 78), ablativos beneficio et viribus genetivis rei vel personae, per quas aliquid esset effectum, adiunctos, mire adamavit et frequentissime posuit. Alia quoque accurate definire et diligentiore persequi studio necesse esset, ut singularum locutionum fons et origo eruerentur. [1])

Facere tamen non possum quin aliquot minutas observatiunculas de sermone utriusque scriptoris iis quae praecedunt, adiciam, ex quibus Valerium Maximum re vera inspexisse libellos Vellei maiore cum probabilitate eluceat. Propria est quaedam Vellei locutio quae voce favorabilis significatione passiva usurpata et verbo facere constat. (Cf. Georges De elocutione Vellei p. 24). Itaque legimus II, 34, 2: Metelli triumphum invidia Pompeii fecit favorabilem; II, 40, 2: cuius reditum favorabilem opinio fecerat. Exemplum Vel-

[1]) Cf. e. g. Velleianam locutionem II, 41, 1: consulatus C. Caesaris, qui scribenti manum inicit et quamlibet festinantem... morari cogit et Val. Max. IV. 1, 15: ad externa iam mihi exempla transire conanti M. Bibulus. manus inicit. — Post nomen viri alicuius in transcursu laudatum solebat Velleius quamvis succisam vitae eius adumbrationem subicere; quae quidem egressiones eodem modo inseruntur I, 4, 3: hic est Metellus, qui... et II, 7, 3, hic est Opimius, a quo... Cf. similia apud Valerium VI, 9, 9: hic est Ventidius, qui... et VIII, 2, 3: Fannia autem haec est, quae...

lei imitatus simili formula videtur usus esse Valerius, qui de Catone Uticensi haec habet II, 10, 7: Marcum quoque Porcium Catonem admiratio vitae venerabilem senatui fecit.

Constantiam Iuventii Laterensis hac Velleius prosecutus est laudatione II, 63, 2: vir vita ac morte consentaneus. Nescio vero an Velleius verba haec ex Cicerone excerpserit, quem ut alia, hunc quoque novasse dicendi modum conicere ausim. Nam in Philippica IX c. 7 § 15 Ser. Sulpicius Rufus maximis celebratur laudibus utpote cuius „mors consentanea vitae fuerit sanctissime actae", cum apud Sallustium, quo loco miser Lentuli describitur exitus, nondum talia appareant, sed simpliciore et antiquo modo Lentulum „dignum moribus factisque suis exitium vitae invenisse" (De coni. Cat. c. 55) auctor contendat. Quodnam vero exemplar secutum esse dicam Valerium, incertus haereo; attamen perlectis verbis, quibus laudationem terminavit Metelli VII, 1, 2: hunc vitae actum eius consentaneus finis excepit...., suspicio non aberat, quin locutionem illam a Velleio sit mutuatus.

In describendo bello civili, quod inter Marium et Sullam exarsit, maximum terrorem iniecisse Romae Samnitium ducem Telesinum Velleius contendit enarravitque, quomodo vir ille Romano nomini infestissimus magno numero „pertinacissimae in retinendis armis iuventutis" (II, 27, 1) contracto cum Sulla ad portam Collinam dimicasset. Eandem vero locutionem, quae ei familiaris fuisse videtur usurpavit quoque Velleius alio loco, ubi de Nolana disseruit rebellione. II, 18, 2 legimus haec: ea urbs pertinacissime arma retinebat. Cum igitur Valerius iisdem verbis constantiam urbis cuiusdam Hispaniensis designarit VI, 4, ext. 1: „sola gentis eius urbs Cinginnia pertinaciter arma retineret", vix adducor ut eiusmodi consensum casu exortum esse statuam, sed locum hunc confidenter iis adnumerabo, qui manifestas imitationis Vellei notas prae se ferunt.

In ipsa huius disputationis calce adnotabimus sententiam quandam Velleianam, quam Valerius in usum suum convertisse videtur. De civilium dissensionum disserens incrementis conquestus est Velleius, quod discidia illa a minutis exorta initiis brevi tantas ediderint strages. Quod tamen mirum non esse contendit; „non enim ibi consistunt exempla, unde coeperunt“ (II, 3, 4). Valerius vero, dum luxuriam in dies crescentem deplorat, velim animadvertas quam similem, ut rei causas explicaret, protulerit observatiunculam: neque enim, ait, ullum vitium finitur ibi, ubi oritur (IX, 1, 2). Quam quidem sententiam neque novitate excellere neque sensus esse reconditioris libenter concedam, nihilominus tamen Valerium in ea proferenda vestigiis institisse Vellei recte suspicari possis.

Quin igitur Valerius in opere suo conscribendo evolverit quoque historiam Vellei, equidem non dubito. Qua tamen in re hanc eum iniisse rationem opinor, ut flosculos quosdam aut locutiones hinc vel illinc decerperet, aliquot locis Velleianis coloribus narrationes suas adspergeret. Nam fontes, ex quibus maximam rerum a se commemoratarum partem hauserit, alios fuisse, praeter ceteros Ciceronis opera et Livii amplam historiam, satis superque constat. Cum vero Velleius libellum suum publici iuris fecit, magnam quidem partem Valeriani operis iam exstitisse perscriptam admodum est probabile. Ne tamen quis argumentis nostris haec obiceret, satis erit admonuisse, Valerium, quamvis in medio labore persequendo in Vellei incidisset opusculum, potuisse etiam in illis, quae iam absoluta essent, quaedam immutare et addere. Si vero aequalem sibi et ingenii affinitate quadam coniunctum scriptorem prorsus neglexisset, mirum id sane esset, praesertim in tanta, quanta tempore Tiberii conspicua est, historicorum penuria.



De Georgio Pisida Nonni sectatore.

SCRIPSIT

Leo Sternbach.

Inter carmina, quae Philae reliquiis [1]) Miller ex variis codicum exemplis inseruit, et verborum magnificentia et numerorum rotunditate poëma eminet, quo vitae vanitas ita exponitur, ut rerum humanarum solida et expressa effigies adpareat (vol. II p. 384 sqq.). Carmen 90 hexametris constans codex Parisinus Gr. n. 1630 (bombycinus in 4⁰ min., s. XIV, nobis *P*) f. 165ʳ — 166ʳ Georgii Pisidae iambis subiungit, quibus idem argumentum simillimis et orationis et sententiarum lenociniis inlustratur [2]); ac lemmatum ratio a Millero prorsus neglecta quaestionem, quae ultro exoritur, dissolvit, cum et poëma iambicum et carmen dactylicum ad Pisidam auctorem redire indicet atque innuat. Nimirum subobscuram carminis nostri inscriptionem: ἕτεροι στίχοι ἡρωϊκοὶ εἰς τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν clarissima luce et quae praecedunt et quae secuntur lemmata circumfundunt. Praemittuntur iambi „de vanitate vitae“ lemmate: τοῦ σοφωτάτου Κυροῦ Γεωργίου τοῦ

[1]) Manuelis Philae carmina ex codicibus Escurialensibus, Florentinis, Parisinis et Vaticanis nunc primum edidit E. Miller (1855 — 1857).

[2]) Patrologia Graeca ed. Migne vol. XCII (1865) p. 1581 sqq.

Πισσίδου εἰς τὸν ἀνθρώπινον βίον καὶ κατὰ ὑπερηφάνων ἔμμετρα ἰαμβικά· τὸ πρόγραμμα πρὸς τὸν Χριστὸν instructi (f. 163r), hexametros excipit (f. 166r) Anthologiae Palatinae (I 120) epigramma inscriptione: εἰς τὸν ἐν Βλαχέρναις ναόν· τοῦ αὐτοῦ distinctum, ubi auctoris nomen clare significatur. Scrupulos eximit codex Parisinus (Supplément Grec) n. 690, qui quidem f. 116 versus εἰς τὸν νάρθηκα ἁγίας σοροῦ τῶν Βλαχερνῶν genuinis Pisidae carminibus intexat. [1])

Novum Pisidae carmen eo potissimum nomine memorabile est, quod novissimum artis Nonnianae adsectatorem producit, qui virorum doctorum oculos nondum in se convertit. Quas partes nunc equidem explere studebo, quemadmodum poeta Nonni rationes metricas susceperit, explanaturus.

Verborum expeditam ac profluentem quodammodo celeritatem summo studio persecutus in hexametris componendis Nonnus id praecipue contendit, ut spondeorum pondus cum dactylorum volubilitate commutaret. Hinc igitur versuum clausulis, ut par est, exceptis apud poetam Panopolitanum omnium pedum summa ita dispertitur, ut spondiacos quintuplo dactylici superent. [2]) Quam artem sive potius tetricam disciplinam Pisides ad summum fastigium provexit, ut qui spondeorum usum intra angustissimos terminos coërceat. Etenim dactylis 410 vix 40 spondei opponi possunt, ex quibus primum versus pedem 8, secundum 19 occupant, tertium 2, quartum 11 explent.

Spondeorum ambitu coarctato etiam spondeorum et dactylorum vicissitudines finibus exiguis contineri non est quod

---

[1]) Cf. „Georgii Pisidae carmina inedita" n. LIXb (Wiener Studien vol. XIV — 1892 — p. 58). Ibidem n. XCVI et XCIX (p. 65) eiusdem auctoris duo epigrammata dactylica occurrunt.

[2]) Cf. A. Ludwich, Beiträge zur Kritik des Nonnos von Panopolis (1873) p. 48 et Jahrbücher für Philologie und Pädagogik vol. CIX (1874) p. 237.

miremur. Itaque ex 32 hexametri Homerici formis novem apud Nonnum,[1]) apud nostrum sex recurrunt:[2])

1) ddddd (I) 1. 2. 3. 4. 8. 10. 11. 13. 15. 17. 18. 19. 21. 23. 24. 26. 29. 30. 31. 33. 34. 37. 38. 39. 40. 44. 50. 51. 53. 54. 56. 58. 59. 61. 62. 64. 67. 68. 74. 75. 76. 77. 79. 80. 81. 82. 84. 85. 88. 89. 90.

2) dsddd (II) 9. 16. 25. 27. 28. 32. 36. 41. 45. 46. 48. 49. 65. 69. 72. 73. 78. 86.

3) dddsd (IV) 5. 7. 12. 35. 47. 57. 63. 70. 83. 87.

4) sdddd (III) 6. 14. 22. 42. 52. 55. 66. 71.

5) ddsdd (VIII) 20. 43.

6) dsdsd (VI) 60.[3])

Contra Nonni usum figurae tres (VII sddsd, X dssdd, XI sdsdd) respuuntur, ac praeterea in versuum formis digerendis aliam rationem (I II III IV VI VII VIII XI X)[4]) poeta Panopolitanus iniit.

Omnino incitatior dactylorum cursus carminis nostri insigne proprium est et peculiare; ac praecipue nominum et

---

[1]) Cf. Ludwich Beiträge p. 45 sq. et Aristarchs homerische Textkritik nach den Fragmenten des Didymos dargestellt und beurtheilt vol. II (1885) p. 317 sqq.

[2]) Littera *d* dactylos designo, *s* pedes spondiacos significat. Numerorum notae Romanae ordinem innuunt, quo versuum singulae figurae in Homeri carminibus ita se excipiunt, ut crebrioribus minus frequentes adnectantur.

[3]) Eadem structura metrica per binos, ternos quaternosque versus continuatur cf. 1 — 4. 10 sq. 17 — 19. 23 sq. 27 sq. 29 — 31. 33 sq. 37—39. 45 sq. 48 sq. 50 sq. 53 sq. 58 sq. 61 sq. 67 sq. 72 sq. 74—77. 79—82. 84 sq. 88—90.

[4]) Paulo diversa ratio evadit, si eadem hexametrorum summa in iudicium vocatur. Nimirum Dionys. I 1—90 undetricenis versibus formam primam (1. 3. 12. 15. 18. 28. 35. 37. 39. 41. 46. 51. 54. 58. 60. 64. 66. 67. 68. 69. 74. 76. 78. 79. 80. 81. 83. 86. 87) et secundam (2. 11. 13. 14. 19. 20. 21. 22. 23. 26. 29. 30. 31. 32. 34. 36. 42. 45. 50. 52. 59. 65. 70. 71. 73. 75. 82. 84. 88) praebet, undecies quartam (5. 6. 7. 9. 25. 48. 55. 56. 62. 72. 85), novies tertiam (4. 8. 24. 27. 40. 49. 53. 57. 63). sextam sexies (10. 16. 33. 43. 47. 89), septimam quinquies (17. 38. 44. 61. 77), undecimam semel (90) suppeditat.

verborum formae longitudine procerae decurrunt, unde fit, ut 90 hexametris vix 542 vocabula contineantur, ex quibus 86 monosyllaba sunt, 168 disyllaba, 130 trisyllaba, quaternas syllabas 108 exhibent, quinas 45, senas 3. [1])

Inprimis spondeorum usus certis terminis concluditur: ex 34 verbis spondaicis primum sextumque hexametri pedem 31 explent, 3 inter arsin primam et secundam (v. 14 ὡς αἰεί), secundam et tertiam (46 περὶ γλώσσῃ), quartam et quintam (63 ἐπὶ πτωχῶν) conlocantur. [2]) Per singulos vero hexametri pedes poeta spondeos ad Nonni artem conformatos disposuit.

Scilicet primi pedis spondeus ita est comparatus, ut sexies (6. 22. 42. 52. 66. 71) verbo spondaico efficiatur, semel (55) initium molossi praebeat, semel (14) arsis monosyllabam longam, thesis priorem vocis spondaicae syllabam expleat.

Si pes secundus spondeum continet, singula exempla initium molossi (72) et epitriti quarti (27) praestant, semel (45) spondeus in medio verbo quinque syllabarum (◡ _ _ _ ◡) ponitur, sedecies duas voces occupat, ubi arsin aut monosyllaba positione producta (γὰρ 60. 78, δὲ 32. 48, τίς 36) aut exitus pyrrhichii (16. 28. 41. 46), iambi (9. 65. 73), anapaesti (86), paeonis primi (25), choriambi (49. 69), thesin primae spondei (46) vel palimbacchii (9. 16. 25. 28. 32. 36. 41. 48. 49. 60. 65. 69. 73. 78. 86) syllabae efficiunt.

Tertii pedis spondeus utroque loco (20. 43) anapaestum claudit, ionicum a maiore inchoat.

---

[1]) Exclusi δ' v. 25 et 75, monosyllabis ἀλλ', ἀπ', ἐπ', μεθ', bisyllabis ἤύτ' adnumeravi. Apud Nonnum Dionys. I 1—90 monosyllaba 77, disyllaba 178, trisyllaba 143 extant, quattuor syllabarum vocabula 92, quinque 40, sex 4, duo particulae δ' exempla, in summa voces 536 leguntur.

[2]) Cf. G. Meyer, zur Geschichte des griechischen und lateinischen Hexameters (Sitzungsberichte der philos.-philol. und histor. Classe der k. bayrischen Akademie der Wissenschaften, 1884) p. 1009 sq.

Si quartus pes spondeum exhibet, quater (7. 35. 70. 87) thesis longa simul cum arsi in media voce quinque syllabarum (◡ – – – ◡) adest, septies monosyllabam (5) aut exordium verbi spondaici (63), antibacchii (12. 47. 83), ionici a maiore (57. 60) implet, cum arsis pyrrhichii (12. 47. 63) seu iambi (5. 57. 60. 83) finem efficiat.

Hexameter σπονδειάζων neque in Nonni carminibus neque apud Pisidam comparet.

In exitu versuum poeta aliquatenus extra fines, quos Nonnus sibi praescripserat, [1]) egredi est ausus. Ac trochaicas quidem clausulas spondaicae ita superant, ut in trochaeum 27 hexametri excidant, [2]) 63 versus spondeum exeuntem suppeditent. Vocabula spondaica vicies quinquies (1. 2. 5. 8. 15. 20. 23. 25. 28. 34. 52. 53. 56. 57. 58. 67. 68. 74. 75. 76. 77. 78. 81. 84. 86), trochaica vicies (10. 13. 18. 24. 27. 29. 31. 32. 36. 37. 38. 41. 55. 60. 61. 66. 80. 85. 88. 89) occurrunt [3]), 38 verba spondeis (3. 4. 6. 9. 11. 12. 14. 16. 17. 19. 21. 22. 33. 35. 39. 40. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48.

---

1) Cf. L. Struve, de exitu versuum in Nonni Panopolitani carminibus (1834), R. Volkmann, Commentationes Epicae (1854) p. 26 sqq., Ludwich, Beiträge p. 60 n. et p. 71 sqq., H. Tiedke, Herm. vol. XIII (1878) p. 351 sqq, Meyer o. c. p. 1010 sqq.

2) Volkmannus p. 10 haec adnotat: Nonnus primo in pede trochaeum tum demum vitasse videtur, si sextum quoque hexametri locum obtinet, quamquam hoc non adeo pro lege habuit, ut non multi inveniantur versus contrarii. Quam observationem Pisidae versus sex (10. 18. 36 41. 65. 80) refellunt, qui incisionem κατὰ πρῶτον τροχαῖον praeterea sedecies (1. 9. 28. 45. 46. 47. 50. 51. 67. 70. 72. 73. 77. 81. 84. 87) adhibet. Secundum versus pedem (cf. Volkmann p. 11) trochaeo poeta ter (44. 56. 84) secat, quartum semel (68 οἶα, ubi enclitica monosyllaba sequitur cf. G. Hermannus ad Orph. — 1800 — p. 696 cl. Volkmanno l. c.), quintum 45 locis (3. 9. 11. 12. 13. 17. 22. 24. 26. 27. 28. 30. 33. 35. 37. 38. 39 40. 42. 43. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 52. 54. 59. 62. 64. 65. 69. 70. 72. 73. 79. 82. 83. 84. 85. 87. 90).

3) Itaque post pedem quintum quadragies quinquies diaeresis admissa est.

49. 50. 51. 54. 59. 62. 63. 64. 69. 70. 72. 73. 82. 83. 87), trochaeis septem (7. 26. 30. 65. 71. 79. 90) terminantur. Quodsi clausulae trochaicae in censum veniunt, similibus vel adeo gemellis Nonni exemplis omnes loci firmantur praeter κυλίνδον (30), γῆρας (55) et formam ἀνῆλθεν (90), qua quidem lex primaria perfringatur. [1]) Etenim poeta Panopolitanus ν ἐφελκυστικὸν a fine versuum prorsus exclusit ac studiose diligenterque cavit, ne hexametrum vox clauderet, cui littera paragogica adici posset. Quam magistri legem [2]) adseclae nonnumquam migrarunt cf. F. Baumgarten, de Christodoro poeta Thebano (1881) p. 49.

Praeterea Nonni praeceptis se conformavit poeta in hexametri fine summopere enixus, ut vocabuli accentus cum ictu versus congrueret [3]); nusquam igitur accentus in tertium gradum syllabarum recedit [4]), semel δὲ (71) occurrit, ubi non

---

[1]) Clausulis: ῥεῖθρα (10), βάθρα (32), ἄρθρα (36) versus: Αἰακὸς εὐπαλάμοιο πάλης δεδαημένος ἔργα (Dionys. XXXVII 555) adsimulari potest, de cuius integritate immerito Ludwichius (Beiträge p. 79) dubitat.

[2]) Cf. F. A. Wernicke ad Tryphiodor. (1819) p. 66. — Vocalium concursum ν ἐφελκυστικὸν undecies in caesura trochaica prohibet (2 παθέεσσιν, 16 μόρφωσεν, 18 et 35 μελέεσσιν, 34 ἐτάνυσσεν, 37 συνέδησεν, 38 προτόνοισιν, 48 στίλβωσεν, 54 ἀπέμαξεν, 63 παρέπεισεν, 77 προέκερσεν), semel in diaeresi bucolica (66 ἐπέσχεθεν), in secunda thesi primi pedis bis (30 ῥεύμασιν, 85 κύμασιν), ter post quinti pedis thesin priorem (9 ἐστίν, 35 ἐπιστάζουσιν, 49 βλεφάροισιν), quater in secunda eiusdem pedis thesi (56 et 61 ἥρπασεν, 60 ἰνδάλμασιν, 81 ἔδρακεν). Syllabam brevem littera ν addita semel in trithemimere Pisides produxit v. 76 (ψαλίσιν). Forma πάντοθεν (36) haudquaquam ad prius genus pertinet, neque vox πάλῖν (13 41) ad alteram exemplorum seriem trahi potest cf. A. Scheindler, Quaestionum Nonnianarum pars I (1878) p. 69.

[3]) Cf. Ludwich, Jahrbücher für Philologie vol. CIX (1874) p. 441 sqq.

[4]) V. 3 noster consulto γελώτων pro γέλωτος scripsisse putandus est. Magistri arte expressa Pisides praeterea neque in secundo neque in quarto hexametri pede proparoxytona in trochaeum exeuntia adhibuit cf. Ludwich o. l. p. 453 sqq. cl. Meyero p. 980.

sine ratione [1]) vox choriambica post interpunctionem praemittitur, octies properispomenon ponitur (7. 10. 18. 29. 31. 41. 55. 90), 81 locis paroxytona comparent (1—6. 8—9. 11—17. 19—28. 30. 32—40. 42—54. 56—70. 72—89).

Nonni usum secutus Pisides hexametri pedem tertium numquam caesura semiquinaria aut trochaica distinere neglexit. Penthemimeres in exiguum gyrum compulsa quindecies [2]) extat, bis cum caesura semiseptenaria (15. 72), decies cum diaeresi bucolica (17. 43. 46. 61. 68. 80. 81. 84. 85. 89), cum trithemimere et bucolica ter (20. 23. 71) consociata; caesura κατὰ τρίτον τροχαῖον 75 versus inciduntur, ac sola septies (8. 26. 44. 45. 48. 70. 87) extat, quattuordecies trithemimeren (7. 11. 16. 19. 21. 25. 35. 51. 52. 54. 55. 63. 64. 69), sexies hephthemimeren (1. 6. 22. 30. 40. 42; itemque caesuram bucolicam sexies (53. 56. 58. 66. 82. 90) adsciscit, duodevicenis locis trithemimeren et hephthemimeren (3. 12. 14. 18. 34. 47. 49. 50. 57. 59. 60. 65. 67. 73. 75. 76. 78. 83), trithemimeren et bucolicam (2. 4. 9. 10. 24. 29. 31. 32. 33. 36. 38. 39. 41. 62. 77. 79. 86. 88) comites sibi adiungit, ternis caesuram semiseptenariam et bucolicam (5. 27. 74), trithemimeren, hephthemimeren, bucolicam (13. 28. 37) secum ducit. [3]) Quodsi dactylorum et spondeorum vicissitudines spectantur, haec incisionum ratio prodit:

---

[1]) Cf. Volkmann p. 11, E. Plew, Jahrbücher für Philologie vol. XCV (1867) p. 847 sqq., H. Tiedke, Quaestionum Nonnianarum Specimen (1873) p. 26.

[2]) Caesuram, quae usque ad Nonni aetatem principatum obtinuerat, poeta Panopolitanus adeo in angustum conclusit, ut vix sextam versuum partem occupet ac praeterea definitam habeat regionem, cuius terminis saepta teneatur, utpote quae aliarum incisionum adiumento egeat cf. Tiedke Quaest. p. 2 sq.

[3]) Easdem caesuras poeta in his versibus continuis repetit: 9 sq. 31—33. 38 sq. 44 sq. 49 sq. 51 sq. 54 sq. 59 sq. 63 sq. 80 sq. 84 sq., eadem et caesurarum et pedum ratio ter adhibetur: 38 sq. 80 sq. 84 sq.

incisiones praebent versuum formae	a) praeter caesuram κατὰ τρίτον τροχαῖον								b) praeter caesuram semiquinariam		
	nullam	trithemimeren	hephthemimeren	bucolicam	trithemimeren et hephthemimeren	trithemimeren et bucolicam	hephthemimeren et bucolicam	trithemimeren hephthemimeren bucolicam	hephthemimeren	bucolicam	thrithemimeren et bucolicam
ddddd	3	6	3	5	8	12	2	2	1	8	1
dsddd	2	3	—	—	4	5	1	1	1	1	—
dddsd	2	3	—	—	4	—	1	—	—	—	—
sdddd	—	2	3	1	1	—	—	—	—	—	1
ddsdd	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	1
dsdsd	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	—

In caesura semiquinaria semper paroxytona conlocantur, unico loco (23) oxytonon habes [1]; incisio κατὰ τρίτον τροχαῖον properispomenon semel (49), proparoxytoni 75 exempla offert [2]; in trithemimere 2 proparoxytona (69. 88), 31 paroxytona (3. 4. 7. 9. 10. 11. 12. 16. 18. 19. 28. 29. 33. 35. 37. 38. 41. 47. 49. 50. 54. 55. 64. 65. 73. 75. 76. 77. 79. 83. 86), oxytona 17 (2. 14. 20. 23. 25. 31. 32. 34. 36. 39. 57. 59. 60. 62. 67. 71. 78), perispomena 5 (21. 24. 51. 52. 63) occurrunt [3]), hephthemimeres 21 paroxytona (1. 6. 12. 13. 27. 28. 30. 34. 37. 40. 42. 47. 49. 50. 59. 65. 67. 72. 73.

[1]) Debilissima ibidem interpunctio comparet; v. 72 penthemimeres sententiam concludit, id quod Nonni ars metrica devitat cf. Tiedke Quaest. p. 38. Accentuum ratio in Nonni carminibus ab eodem viro docto explanata est Herm. vol. XIII — 1878 — p. 59 sqq. et p. 266 sqq.

[2]) De Nonno cf. Meyer p. 1016. Interpunctionem noster tredecies admisit (1. 3. 6. 12. 13. 25. 34. 37. 51. 59. 74. 75. 87).

[3]) V. 59 lenissima distinguendi nota adicitur.

74. 78), 7 oxytona (3. 5. 15. 18. 57. 76. 83), 4 perispomena exhibet [1]), diaeresis bucolica proparoxytona 24 (2. 4. 17. 20. 23. 24. 29. 31. 32. 36. 38. 41. 43. 46. 53. 56. 61. 62. 66. 85. 86. 88. 89. 90), paroxytona 15 (9. 10. 13. 27. 28. 33. 37. 39. 58. 71. 74. 77. 80. 81. 84), oxytona 4 (5. 68. 79. 82) suppeditat. [2])

Vocabulorum vero et ambitum et mensuram haec tabella inlustrat:

Monosyllaba ◡ praebent trithemimeres (20. 31. 32. 36. 57. 60. 71. 78) et bucolica (68), monosyllaba longa itidem trithemimeres (23. 24. 52. 59) et bucolica (5).

Pyrrhichios promunt trithemimeres (16. 28. 41. 46. 77) et penthemimeres (84), hephthemimeres (6. 12. 13. 28. 30. 47. 49. 50. 65) et bucolica (9. 13. 27. 28. 33. 37. 74. 82. 84 [3]).

---

[1]) Interpunctionem poeta prorsus exclusit

[2]) Distinctio accedit v. 2. 24. 28. 43. 71. 84. 90. — In diaeresi pedis primi 17 proparoxytona (5. 8. 24. 26. 30. 31. 40. 43. 44. 48. 56. 57. 59. 61. 74. 82. 85), 11 paroxytona (6. 17. 20. 23. 32. 53. 58. 60. 71. 78. 90), oxytona novies (13. 15. 22 27. 36. 52. 66. 81. 84), perispomenon semel (42) habes, quibus locis unum praepositionis ἐπ' (72) exemplum adiungi potest. — Pede secundo numquam Pisides verbum finivit, post pedem tertium uno loco excepto (v. 68 τύπος) semper aut coniunctio καὶ (9. 21. 31. 32. 33. 36. 39. 44. 45. 55. 56. 62. 79. 82) aut praepositiones (ἀπ' 16, ἐν 48. 69) comparent, unde sequitur, ut altera dactyli thesis arctissime cum pede quarto cohaereat cf. Volkmann p. 11, Tiedke Quaest. p. 38. — Diaeresi post pedem quintum admissa praeter μεθ' (28) proparoxytona extant triginta (1. 2. 5. 10. 15. 18. 23. 29. 31. 32. 34. 36. 41. 53. 56. 57. 58. 60. 61. 66. 67. 74. 75. 76. 77. 78. 80. 81. 86. 89), paroxytona tria (13. 20. 68), oxytona undecim (8. 24. 25. 27. 37. 38. 52. 55. 84. 85. 88).

[3]) Ubicumque versus et hephthemimere et caesura bucolica simul inciditur, bucolica dominatur, si pyrrhichius quarti pedis thesin explet (13 χθόνα, 27 πλέον, 28 χρόνος, 37 δέμας, 74 μόνον), — v. 5, ubi monosyllabo quarta thesis efficitur, hephthemimeres praevalet, cum μὴ potius ad sequentia pertineat cf. E. Gerhard, Lectiones Apollonianae (1816) p. 203, Tiedke Quaest. p. 40 sq. — Praeterea Pisides Nonni legem metricam, quae quidem semiquinaria (cf. Meyer p. 991 et 1005) aut semiseptenaria (cf. Tiedke Quaest. p. 15 sqq.) praegressa hexametrum post arsin quinti pedis secari vetet, diligenter observat: mascula quinti pedis caesura unde-

Jambos adponunt trithemimeres (9. 10. 18. 19. 47. 50. 51. 65. 67. 73) et hephthemimeres (1. 3. 5. 14. 18. 22. 27. 34. 37. 40. 42. 57. 59. 60. 67. 73. 74. 75. 76. 78. 83), spondeum semel trithemimeres (14) praestat, semel penthemimeres (46).

Tribrachi occurrunt in trithemimere (39. 76) et penthemimere (89), dactyli in caesura bucolica (31. 32. 36. 39. 56. 62. 79. 81), amphibrachi in trochaica (44. 56), anapaesti in trithemimere (7. 34. 54. 62. 83. 86), penthemimere (20. 23. 43. 68. 71), hephtemimere (15. 72), antibacchii in caesura κατὰ τρίτον τροχαῖον (9. 16. 25. 28. 32. 36. 41. 48. 49. 60. 65. 69. 73. 78. 86) [1], molossi in trithemimere (55) et penthemimere (72).

Paeones primos profert trithemimeres (4. 11. 25. 88), secundos bucolica (2. 4. 10. 24. 29. 38. 41. 46. 53. 58. 66. 77. 86. 88. 90), tertios trochaica (2. 3. 4. 7. 10. 11. 12. 13. 14. 18. 19. 21. 24. 29. 31. 33. 34. 35. 37. 38. 39. 47. 50. 51. 52. 54. 55. 57. 59. 62. 63. 64. 67. 75. 76. 77. 79. 82. 83. 88), ionicos a maiore bucolica (20. 43), choriambos trithemimeres (2. 3. 12. 21. 29. 33. 35. 37. 38. 49. 63. 64. 69. 75. 79) et penthemimeres (15. 17. 61. 81. 85), epitritos quartos trochaica (27. 58).

Quinque syllabarum voces quadrifariam dispertiendae sunt: mensuram ⏑⏑–⏑⏑ praebet incisio bucolica (17. 23. 61. 71. 80. 85. 89), ⏑–⏑⏑– penthemimeres (80), trochaica –⏑⏑–⏑ (5. 6. 8. 22. 26. 30. 40. 42. 53. 66. 74. 90) et ⏑–––⏑ (45. 87).

---

cies occurrit; oxytonon v. 20, perispomena v. 63 et 88, reliquis locis (8. 16. 19. 25. 44. 51. 52. 55) paroxytona habes cf. Tiedke, Herm. vol. XIV (1879) p. 219 sqq.; penthemimeren sequitur v. 20, sed particula monosyllaba καὶ ad versum incidendum nihil fere valet, — v. 44 et 63 praepositiones ἐκ et ἐπὶ cum sequentibus (κροτάφων et πτωχῶν) tam arcte cohaerent, ut quarti pedis incisio non percipiatur.

[1]) Praeter v. 49 (σπινθῆρι) omnia exempla accentum in antepenultima syllaba habent; in versus introitu Pisides Nonni usum secutus (cf. Tiedke Herm. vol. XIV — 1879 — p. 412 sqq.) proparoxytonis antibacchiis (et molossicis) abstinuit.

Denique verbi formam ◡ – ◡ ◡ – ◡ caesura κατὰ τρίτον τροχαῖον bis (1. 70) promit. —

Pedisequum Nonni adgnosces etiam in rebus prosodiacis. Ac primum quidem hiatus exempla in Nonni carminibus certarum legum cancellis circumscripta sunt, quas enucleavit C. Lehrsius, Quaestion. Epic. (1837) p. 264 sqq. In arsi Pisides vocalium concursum nusquam admisit [1]), in thesi tantummodo longa [2]) vocalis ῳ et diphthongus αι ante vocalem sequentis verbi comparent. Priorem thesis syllabam bis in pede primo ῳ correptum occupat (72 ὄλβῳ ἐπ' et 87 ὕπνῳ ὀλισθήσαντα), in dactyli exitu vicies septies αι corripitur, ac pedem primum bis diphthongus claudit (26 οἴχεται, 82 ἵσταται), tertium quindecies (καὶ 9. 21. 26. 31. 32. 33. 36. 39. 44. 45. 55. 56. 67. 79. 82) [3]), octies quartum (4 κορύσσεται, 24 μαραίνεται, 38 ἐρείδεται, 43 ῥιπίζεται, 85 περικίδναται, 86 συνίπταται, 89 παρανίσταται, 90 ἀπέρχεται), bis quintum (καὶ 38 et 85). [4])

Deinde ex auctoritate Nonni Pisides in elidendis verbis pendet, cum coniunctiones tantum et praepositiones apostropho afficiat. Quae quidem per singulos pedes ita dispertiuntur:

arsis	thesis	
	a	b
I ἀλλ'	—	—
II —	ἠύτ'	—
III —	—	ἀπ'
IV δ'	—	—
V δ'	—	μεθ'
VI —	—	—

[1]) Poeta Panopolitanus illam licentiam in formulis quibusdam ex Homero petitis et usu communi receptis sibi indulsit cf. Wernicke ad Tryphiod. p. 483 sqq., Lehrs o. l. p. 277 sqq., Scheindler, Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien vol. XXIX (1878) p. 897 sq.

[2]) V. 8 codicis P memoria καγχαλόωντι (καγχαλόωντη falso enotavit Miller) ὀλεθροφόρῳ sensu cassa est. Nonnus ante pronomina ἕθεν, οἷ, ἓ aliquoties breves vocales exhibet cf. Scheindler l. c. p. 900.

[3]) Apud Nonnum quoque particula καὶ hoc loco frequentissima est cf. Lehrs p. 267.

[4]) Hexametri clausulam ἔνθα καὶ ἔνθα noster poeta Nonno (Dionys. XXXVII 44), Nonnus Homero (Il. XXIII 164) sublegit.

Formae ἀλλ' (23), ἀπ' (16), δ' (25 et 75), ἐπ' (72), μεθ' (28) etiam apud Nonnum in eadem versus sede recurrunt, ἠὖτ' (84) neque magister neque scholae Nonnianae alumni suppeditant [1]), quare nescio an corrector male sedulus pristinam scripturam ὥςπερ oblitteraverit.

Cum Nonni usu congruit praeterea vocabulorum mensura: liquida ν geminata [2]) ter in arsi primi pedis productio efficitur (ἔννεπε 24. 31. 58), σ duplicatur in arsi tertia decies (δονάκεσσι 33, μελέεσσι 4, μελέεσσιν 18. 35, παγίδεσσι 79, παθέεσσιν 2, πελάγεσσι 82, σταγόνεσσι 55, χολάδεσσι 39, ἐτάνυσσεν 34), semel in quinta (μελέεσσι 65), semel in sexta (τανύσσας 64).

Muta cum liquida syllabam antecedentem 38 locis producit. In mediis verbis 31 exempla ad arsin pertinent [3]), ubi syllaba positione debili producitur ante:

γλ: ἀγλαΐην (64. 75 I ars.),
θλ: γενέθλης (14 VI), ἰσχνογένεθλα (26 V),
πλ: βιοπλανέος (19 IV),
τλ: φύτλης (23 VI),
χλ: ὀμίχλην (45 VI), —
γν: στυγνὴν (66 I),
δν: περικίδναται (85 IV),
θν: ὀθνείῳ (72 II),
μν: γυμνὸν (80 I),
πν: ὑπνώοντος (27 II), καπνὸν (45 I), ὕπνος (60 VI), ὕπνῳ (87 I),
τν: φάτνῃ (20 I),
χν: ἴχνος (82 V), —
γρ: ὑγροχίτωνι (48 IV),
δρ: ἔδρακεν (81 V),
θρ: ὀλεθροφόρῳ (8 IV), βάθρα (32 VI), λύθρων (52 VI),
κρ: δακρυόεν (11 I), ἀκρατὲς (79 IV),
τρ: μέτρα (17 V), ἄτρομα (32 IV),

---

[1]) Cf. Ludwich Beiträge p. 18. 24 sqq. et Mus. Rhen. vol. XXXV (1880) p. 500 sqq.

[2]) Vox παλίρροον (29) aliter comparata est.

[3]) De Nonno cf. Scheindler Quaest. p. 28 sqq.

φρ: τέφρῃ (1 I), ὄφρα (43 V, 47 I), ἐχεφροσύνης (80 II)
χρ: ἀχράντοις (55 I).

In thesi unum extat exemplum: τεχνώσατο (57 IV), quod quidem poeta e Nonno (Dionys. IX 213, XXVI 355, XLVI 295) sumpsisse putandus est.

In confiniis vocabulorum muta cum liquida sexies syllabam brevem in arsi conlocatam producit [1]); positionem debilem efficiunt:

γλ: περὶ γλώσσῃ (46 II),
βρ: δὲ βροτέην (20 II),
κρ: ὅτι κρυφίοισι (6 IV), ἐπὶ κροτάφοισι (64 IV),
τρ: ἐπὶ τροχόωντι (11 IV),
χρ: ὅδε χρόνος (28 IV).

Correptio Attica in confiniis ex Nonni usu (cf. Scheindler Quaest. p. 23 sq.) semel ante δρ admissa est (παρέβαψε δρακοντογόνων 52; thes. III b), in verbis ipsis syllaba brevis integra mansit ante θρ (βιοθρέμμονος 34; IV b) et κλ (παχύκλωστον 50; IV b) contra Nonni leges (cf. Scheindler p. 66 sq.), qui brevem in quinque vocabulis ex Homero adsumptis (ἀλλοτρίου, ἀλλοπρόςαλλον, Ἀμφιτρύων, Ἀφροδίτη, Ἡρακλέης) producere neglexit.

Denique confinia verborum et in arsi et in thesi artis Nonnianae [2]) cancellis poeta circumscripsit: vocabulorum, quae in trithemimere, penthemimere, hephthemimere comparent, speciem et formam iam supra (p. 46 sq.) adumbravimus, primam arsin monosyllaba εἰ (81), εἰς (34), ἐκ (13), ἐς (7), ἣ (86), καὶ (62. 90), οἷς (54), ὃν (77), ὃς (76), οὐ (83), οὓς (55), τίς (39. 41. 46. 50), τὸν (73), τῷ (65), ὡς (14) incidunt, quinti pedis arsin

---

[1]) Nonni versus conlegit Scheindler Quaest. p. 17 sqq.

[2]) Cf. I. Hilberg, das Princip der Silbenwägung und Silbenzählung in der griechischen Poesie (1879) p. 96 sq. 125 sqq. 168 sqq.; de syllabis finalibus ante caesuram semiquinariam et semiseptenariam productis egit Tiedke Quaest. § 2 et 3 p. 4 sqq., monosyllaba perpenderunt Scheindler Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien vol. XXX (1879) p. 414 sqq. et Ludwich Mus. Rhen. vol. XXXV p. 504 sqq.

duo monosyllaba (καὶ 20, τῇ 88) explent, bisyllabum (πτωχῶν 63)[1]) et trisyllabum (κροτάφων 44) singulis locis occupant, plurium syllabarum voces septies (εὐαγέος 16,— ἀμπλακίης 55; βιοπλανέος 19,—βαρυνομένην 51, δρακοντογόνων 52, μινυνθαδίοις 24, ὀλεθροφόρῳ 8) tenent, in ultima hexametri arsi paeon primus (παιζόμενον 71) legitur. — Thesin spondaicam syllabae finales in pede primo sexies (6 νίκην, 22 μορφήν, 42 ὁλκοῖς, 66 στυγνήν, 71 χλαίνῃ), in versus clausula ter et sexagies (cf. p. 42 supra) efficiunt, in pede quarto longam thesin semel μή (5) explet [2]).

Profligata iam haec et ad exitum adducta quaestio est. Nunc restat, ut poetae verba a corruptelarum sordibus purgata proponantur:

Ἄνδρες ἐγερσιγέλωτες, ὅσοι βιοπαίγμονι τέφρῃ
ἀνθρακιὴν παθέεσσιν ἀνάπτετε, μίξατε πένθει
χαρμοσύνην ἀγέλαστον, ἐπεὶ μετὰ τόξα γελώτων
θυμοβόρος μελέεσσι κορύσσεται ἀσπιδιώτης.
Ἀρεϊ σαρκοχίτωνι κακὴν μὴ τεύχετε νίκην,
νίκην ψυχολέτειραν, ὅθι κρυφίοισι βελέμνοις
ἐς κραδίην ζοφόεντες ὀϊστεύουσι φονῆες.
Λήγετε καγχαλόωντες ὀλεθροφόρῳ περὶ τύφῳ·
ὄγκον ἔχει πίπτοντα καὶ ἐς θρόνον ἐστὶν ὀλίσθου·
ῥεῦμα τύχης ὁρόωντες ἐναντία τέμνετε ῥεῖθρα,

---

1) De verbo spondaico cf. Scheindler, Wiener Studien vol. III (1881) p. 68 sqq. Unum exemplum Christodorus, Paulus Silentiarius quattuor suppeditat cf. I. Merian-Genast, de Paulo Silentiario Byzantino Nonni sectatore (1889) p. 63.

2) Cf. Scheindler Zeitschrift vol. XXX p. 426 et Ludwich Mus. Rhen. vol. XXXV p. 508.

Adnotatio critica. Praeter P in censum venit codex Coislinianus 56 (*C*) a Millero conlatus, qui Pisidae versus lemmate Ἡρωϊκὰ ornatos perperam Gregorii Nazianzeni carminibus intexuit (f. 168v): 1 τέφρη P, ubi ῑ ἀνεκφώνητον numquam adicitur || 4 θυμοβόρος] καὶ θόρυβος C || 8 καγχαλόωντες] καγχαλόωντι (non καγχαλόωντῃ) P || περὶ] correxi: παρὰ PC; cf. 'Anthologiae Planudeae Appendix Barberino-Vaticana' (1890) p. 69 sq. || 10 ἐναντία codicis P librarius in rasura exaravit, qua de re nihil monuit

δακρυόεν γελόωντες ἐπὶ τροχόωντι κυλίνδρῳ
ἀνδρομέης στροφάλιγγος, ὅτι στρεπτῇσι κελεύθοις,
ἐκ χθονὸς ὡς ἐγένοντο, πάλιν χθόνα μητέρα δύντες
ὡς αἰεὶ τελέθοντες ἑῆς λελάθοντο γενέθλης·
οὐδέ τις ἀμπλακίης δνοφερὴν ἀπεκείρατο χαίτην
οὐδὲ νόον μόρφωσεν ἀπ' εὐαγέος μελεδώνης
εἰκόνος ἀρχετύπου θεοσύνθετα μέτρα φυλάξας,
ἀλλὰ νόθοις μελέεσσιν ἀνὴρ ἀνεμάξατο ταῦρον,
οἶκον ἔχων ζοφόεντα βιοπλανέος λαβυρίνθου,
εἰκόνα δὲ βροτέην ἐψεύσατο καὶ φρένα φάτνῃ
πηλογενῆ μεθέηκε καὶ ἀμφικέρωτος ὁμοίην
μορφὴν κτηνομέτωπον ἑῷ παρέμιξε καρήνῳ.
Ἀλλ' ἄγε νῦν ἀρετή, βιοτέρμονος ἄνθεα φύτλης
ἔννεπε πῶς χλοάοντα μαραίνεται, οἷά τε χόρτος
οὐτιδανὸς βλάστησε, μινυνθαδίοις δ' ἐπὶ φύλλοις
οἴχεται ὀξυθέριστα καὶ ἰσχνογένεθλα τακέντα·
οὐδὲ γὰρ ὑπνώοντος ἔχει πλέον οὐδέ τι κέρδος
οὐδὲ πάλιν παίζοντος ὅδε χρόνος, ἀλλὰ μεθ' ἅλμην
φλοισβοπόρου βιότοιο παλίρροον ἔρχεται οἶδμα,
ῥεύμασιν ἀνδρομέοισι σάλον θανάτοιο κυλίνδον.
Ἔννεπε, τίς συνέπηξε καί ἥρμοσε χώματι σῶμα,
ὀστέα δὲ σκλήρυνε καὶ ἄτρομα πήξατο βάθρα
σαρκοφόροις δονάκεσσι καὶ ἐς φλέβας αἷμα λοχεύσας
εἰς ὀχετοὺς ἐτάνυσσεν, ὅπως βιοθρέμμονος ὄμβρου
ἀζαλέοις μελέεσσιν ἐπιστάζουσιν ἐέρσαι·
νεῦρα δὲ τίς ῥίζωσε καὶ ἔμπεδα πάντοθεν ἄρθρα
ἁρμονίῃ συνέδησεν, ὅπως δέμας οἷά τε δένδρον
ἀνδρομέοις προτόνοισιν ἐρείδεται ἔνθα καὶ ἔνθα;
τίς δολιχὸν χολάδεσσι καὶ ἀγκύλον ἔργον ἑλίξας

Miller || 11 τροχόωντι] τροχόεντι C (et Miller) || 12 στρεπτῇσι] στρεπτοῖσι C || 14 ἑῆς] ἐμῆς P || λελάθοντο] ἐλάθοντο P || 15 inc. f. 165v (P) || οὐδέ] εἰ δέ C || 16 μελεδώνης] μελεδῶνος C || 20 εἴκονα edidit Miller cf. ἄνερες (68) || 24 χλοάοντα] cum Millero scripsi: χλοάζοντα P, χλοάεντα C || οἷά τε] οἷα δὲ P || 25 οὐτιδανὸς] οὐτιδανὸν PC (et Miller) || δ' om. P || 27 ὑπνώοντος] ὑπνόωντος C || 28 οὐδὲ] οἱ δὲ C || παίζοντος] παίζοντες C || ὅδε] ὁ δὲ C || ἀλλὰ] ἄλλα C || 30 κυλίνδον] κυλίνδων P (per scripturae compendium) || 32 δὲ σκλήρυνε] δ' ἐσκλήρυνε C cf. 48 δὲ στίλβω-

ἥπατος αἱμοτόκοιο τόνους πυρόεντας ἀνάπτει;
τίς δὲ πάλιν στέρνοιο φυσίζοον ἥδρασε κῶνον,
ὁλκοῖς διссοχίτωσι χέων πυρόεσσαν ἐέρσην;
πνεύμονι γὰρ κραδίη ῥιπίζεται, ὄφρα φυλάξῃ
σύγχθονα σαρκὸς ἄλευρα καὶ ἐκ κροτάφων ἀπερύκοι
καπνὸν ἀνερπύζοντα καὶ αἰθαλόεσσαν ὁμίχλην·
τίς δὲ περὶ γλώσσῃ μὲν ἐπήξατο τεῖχος ὀδόντων,
ὄφρα λόγους προχέουσα λάλον φόρμιγγα σαλεύῃ,
ὄμματα δὲ στίλβωσεν ἐν ὑγροχίτωνι καλύπτρῃ
φωτοχύτῳ σπινθῆρι σέλας βλεφάροισιν ἀνάψας;
τίς δὲ νόῳ πτερόεντι ῥάκος παχύκλωστον ὑφήνας
σάρκα φορεῖν ἐπένευσε, βαρυνομένην δὲ σαλεύσας
ψυχὴν πῇ παρέβαψε δρακοντογόνων ἀπὸ λύθρων,
οἷς πάρος ἀνδρολόχευτος ἐβάπτετο δύστοκος Εὔα,
οὓς Μαρίης ἀπέμαξεν ἀπειρογάμοιο λοχείη
ἀχράντοις σταγόνεσσι καὶ ἀμπλακίης μετὰ γῆρας
ἄσπορον υἷα λόχευσε καὶ ἄσπορον ἥρπασεν Εὔαν·
οὕνεκα γὰρ τοπάροιθε γυνὴ τεκνώσατο λύπας,
παρθένος Εἰλείθυια μογοστόκον ἔσβεσε λύπην.
Ἔννεπέ μοι, βασίλεια, βίου ζοφόεντας ὀνείρους·
πολλάκι γὰρ κνώσσοντα κενοῖς ἰνδάλμασιν ὕπνος
φάσματι κοιρανίης ἀνεμώλιον ἥρπασεν ἄνδρα
καὶ στρατιὴν ὑπέταξε καὶ ἄστατον ὄλβον ἀγείρας
σκηπτοφορεῖν παρέπεισεν ἐπὶ πτωχῶν παλαμάων,
ἀγλαΐην ἀνύπαρκτον ἐπὶ κροτάφοισι τανύσσας, —
τῷ δὲ μάτην θέλγοντι νόον μελέεσσι χυθέντα
στυγνὴν ἠριγένειαν ἐπέσχεθεν ὄρθριος ὄρνις·
ἔνθεν ἐμοὶ σκιόεσσα βίου φιλοπαίγμονος αἴγλη

σεν || 34 om. C || 35 ἐέρσαι] ἐέρσην C || 39 χολάδεσσι] χολώδεσσι C || 40 αἱμοτόκοιο] αἱματόκοιο C || 41 φυσίζοον] reposui: φυσίζωον PC (et Miller)
π
|| 42 ὁλκοῖς] ὁλκοῦ C || 43 ῥιπίζεται P || 44 σύγχθονα in mendo cubare putat Miller || 47 σαλεύῃ] σαλεύσῃ C || 50 sq. om. C || 53 Εὔα] Εὖα Miller cum PC cf. 56 Εὔαν || 54 οὓς] ὗς P (sine littera initiali) || 57 οὕνεκα PC (nec non Miller) || 63 σκηπτοφορεῖν] σκηπτροφορεῖν citra necessitatem correxit Miller || 66 ἐπέσχεθεν] ex coniectura dedi: ἐπίσχεν PC, ἐπίσχεεν (ἐπείς-

σκηνοχαρὴς δοκέει τύπος, οἷά περ ἀνέρες ἄλλοι
παιζόμενοι παίζοντες ἐν εὐτροχάλοισι θεήτροις
ἄνδρα γελωτοκάρηνον ἐνιδρύσαντο θοώκῳ,
χλαίνῃ μὲν σχεδίῃ περιλαμπέα, παιζόμενον δέ,
ὄλβῳ ἐπ' ὀθνείῳ πενίην ὅτι δόξε καλύπτειν·
τόν ῥα γέλως μόρφωσε βίου φορέοντα καλύπτρην,
ὄλβιον, ὑψικάρηνον, ἕως μόνον ἕζετο παίζων
ἀγλαΐην βιότοιο, κενῷ δ' ἐπετέρπετο θώκῳ,
ὃς ψαλίσιν τοπάροιθε τεμὼν ἀπεκείρατο χαίτην,
ὃν δὲ νόον πρόεκερσεν ἀναιδέος εἵνεκα λύσσης·
πολλάκι γὰρ κλέπτουσι Τύχης ψυχάρπαγες ὄγκοι
θελξινόοις παγίδεσσι καὶ ἀκρατὲς ἅμμα βαλόντες
γυμνὸν ἐχεφροσύνης πεπεδημένον ἥρπασαν ἄνδρα·
εἰ δέ τις εὐσεβίης θεοβενθέος ἔδρακεν ὄγκους,
ἵσταται ἐν πελάγεσσι καὶ ἐς βυθὸν ἴχνος ἐρείδει,
οὐ τρομέων ζοφόεντας ἀεὶ πνείοντας ἀήτας.
Ταῦτα γὰρ ἠΰτ' ὄναρ τὸν ἐμὸν βίον, οἷά περ αὔρη,
κύμασιν ἀνδρομέοις περικίδναται ἔνθα καὶ ἔνθα
ἢ βιότῳ παίζοντι συνίπταται ἅλματι κούφῳ,
ὕπνῳ ὀλισθήσαντα, συνεκλείψαντα θεήτρῳ,
πομφόλυγος στροφάλιγγι πανείκελα, τῇ πάρα κέντρον
ὀμβροτόκου ψεκάδος παρανίσταται ἄστατον ὕψος
καὶ πάλιν αὐτοκύλιστον ἀπέρχεται, ἔνθεν ἀνῆλθεν.

χεεν?) temptabat Miller || 68 ἄνερες apud Millerum habes cf. 20 εἶκονα || 71 inc. f. 166r (P) || χλαίνῃ] χλαινίη C || 73 τὸν ῥὰ P || 75 βιότοιο] βιώτοιο C || 77 εἵνεκα] ἕνεκα C || 80 ἥρπασαν] scripsi: ἥρπασεν PC (Miller) || 88 πάρα] παρὰ Miller cum PC || 90 ἀπέρχεται] correxi: ἀπέρχεαι PC (et Miller).



De perioches Homericae
exordio tegulae inscripto.

Scripsit

Petrus Bieńkowski.

Romulae (Rečka), in oppido Daciae, hodie Romaniae, in qua novissimis temporibus cura illustrissimi Točilescu, qui Museo Bucarestano praeest tot tantique pretii monumenta in lucem prodierunt, repertus est etiam titulus Graecus, de quo quamquam in proximo fasciculo ephemeridis Arch.-epigr. Mittheil. aus Österr. edetur, iam nunc pauca proponere liceat. Titulus tegulae 0,25$^{m.}$ a., 0,29$^{m.}$ l., antequam coqueretur, litteris cursivis II aut III p. Chr. n. saeculi stilo inscriptus, ab Eugenio Bormanno, viro epigraphicae quae vocatur artis peritissimo recognitus est; exhibet exordium versus heroici: Τοῦ Τρωκοῦ πολέμου καθ' Ὅμη[ρον]. Quam inscriptionem ubi magister egregius mecum communicavit, statim mihi tituli tabularum Iliacarum in mentem venerunt, imprimis titulus clipei Achillis qui constat uno hexametro: Ἀσπὶς Ἀχιλλῆος Θεοδώρηος καθ' Ὅμηρον (cf. Bieńkowski, Röm. Mitth. 1891 tab. IV—VI, p. 183 sq.). Accedunt tituli tabulae Capitolinae: Ἰλιὰς κατὰ Ὅμηρον, Αἰθιοπὶς κατὰ Ἀρκτῖνον τὸν Μιλήσιον, alii collecti cura Ottonis Iahnii et Adolphi Michaelis in libro, qui inscriptus est Bilderchroniken p. 3 sq. (cf. C. I. Gr. Italiae etc. nr. 1285 sq.).

Constat inter omnes praeter Homeri carminum epitomas sermone pedestri confectas etiam argumenta versibus heroicis composita exstitisse, quorum longe notissimum est quod in Anth. Pal. IX 385 asservatur, lemmate Στεφάνου γραμματικοῦ ἀκρόστιχα εἰς τὴν Ἰλιάδα κατὰ ῥαψῳδίαν distinctum. Etiam in tabula Iliaca, quae Sartii nomen fert, argumenta Iliadis rhapsodiarum hexametris, quorum singulos choriambus praecedit, exponuntur. Conferri possunt aetate longe inferiores Odysseae periochae versibus heroicis compositae et hexametri in multis exemplaribus traditi, quibus Herculis duodecim labores et πάρεργα enarrantur in Anth. Planud. XVI 92 sq. et in tabula Albana ab O. Iahnio l. c. tab. V edita (cf. A. Ludwich, Homeri Iliadis et Odysseae periochae metricae Regimontii 1887; H. Schrader, Fleckeis. Jhb. 1888 p. 577 sq.)

Tales epitomas usui puerorum destinatas fuisse, ut carmina poetarum lecta et fabulas enarratas facilius memoria tenerent, cum ex orationis brevis et praecisae indole colligi potest, tum distichon tabulae Iliacae Capitolinae incisum docea Lehrsio ita restitutum:

[ὦ φίλε παῖ Θεοδ]ώρηον μάθε τάξιν Ὁμήρου
ὄφρα δαεὶς πάσης μέτρον ἔχῃς σοφίας.

Eodem modo nostrum versum suppleri proposuerim et legerim:

Τοῦ Τρω[ι]κοῦ πολέμου καθ' Ὅμηρον μάνθανε τάξιν
ὄφρα δαεὶς etc.....

Quod si recte statuimus, distichon hoc quasi pro prooemio cuiusdam Homeri perioches versibus heroicis compositae habebimus, ita ut duos illos versus praefixos singularum rhapsodiarum argumenta sequantur. Adiectivi forma Τρωκοῦ pro Τρωικοῦ sive per errorem scripta sive in ore hominis vulgaris nata non est cur offendamur.

Versus ex carminis cuiusdam memoria tegulis vel muris inscriptos non raro occurrere constat. Omitto titulos in parietibus Pompeianis exaratos, quorum in numero clarissimorum poetarum Vergilii, Ovidii, Tibulli, aliorum frusta, semel

quoque in tablino domus L. Caecilii Secundi argentarii versus Homerici exordium καί μιν φωνή[σας] inveniuntur, — egit de hisce carminibus uberrime doctissimeque Buechelerus in Mus. Rhen. XII (1857) p. 241—66 (cf. Overbeck-Mau, Pompei p. 464 sq.) — sed ex tegulis Romanis quae non multa collecta habeo carmina proponere mihi liceat. Sunt igitur dicta non solum, quae ex clarissimis poetis deprompta sunt, velut illud Aeneidos exordium in tegula Italicae reperta inscriptum (C. I. L. II 4967, 31), vel Aen. V 461 versus cum V 485 v. contaminatus, quem in laterculo Sirmiensi legimus (Mitth. a. Oesterr. IV p. 66): protinus Aeneas procedere longius iras, — sed etiam illi severi et quasi protreptici iambi, quos vulgares homines proverbiorum loco in ore gerere consuerant, sive sermonis proprietate sive metricae artis ratione sive denique sensu insignes. Huc pertinent duo senarii uni eidemque tegulae Savariae in Pannonia repertae inscripti (C. I. L. III p. 962, 2):

Senem severum semper esse condecet.
Bene debet esse povero, qui discet bene.

Alia huiusmodi afferri potuerunt, sed sufficient quae dedimus (cf. C. I. L. V 8110, 176; Viestnik nar. zem. Muzeja 1876, p. 43 sq., quamquam non intellego nisi principium, quod est: [p]arva tibi subi[to]).

Versiculi supra citati digni sunt, qui eximia cura legantur, quippe qui doceant omnes titulos illos, qui doctrinae scholasticae speciem prae se ferant, non a figulis ipsis sed a pueris, qui ludos frequentabant, scriptos fuisse, quam ob rem ex iis de puerorum in provinciis Romanis educandorum ratione conicere licet. In vasculo cretaceo Mojgradi reperto (C. I. L. III 1635, 4) legimus titulum, cuius hoc est exordium: occasion[em] nan(c)tus [sum] scrib(endi) etc. Simili affectu commotos esse discipulos credo, qui in tegulis etiamdum udis graphio seu stilo aut digito ea quae didicissent in ludo, ex memoria persaepe falsa vel inepta perscribebant[1]).

[1]) Nihil ad rem habent Homerici versus amuletorum loco in fragmentis vasculorum exarati, quos collegit Wessely in ephem. Wiener Studien VIII 117; cf. Kopp Paläogr. crit. § 518, 520.

Neque nostro solum titulo de studiis Homeri in Dacia provincia exercitatis docemur, sed alia quoque exstant testimonia, ex quibus quantopere Homeri carmina et heroes ab orae Ponti Euxini incolis culti sint elucet. Dio Chrysostomus in or. Borysthen. II p. 51 ed. Dindorf refert sibi, cum in Olbiam oppidum continuo a Scythis finitimis vexatum intrasset, iuvenem quendam Graecum nobili familia Ionica ortum obviam venisse. Qui quidem a se multos Sarmatas occisos esse gloriabatur, nihilominus ipse ad barbarorum morem comatus et barbatus, scythicis anaxyridibus et sago vestitus cultroque armatus erat. Phocylidem ille quidem sibi ignotum esse, Homeri tamen carmina memoriter recitare se posse professus est. „Σχεδὸν δὲ καὶ πάντες Βορυσθενῖται, — ait Dio — περὶ τὸν ποιητὴν ἐσπουδάκασιν ἴσως διὰ τὸ πολεμικοὶ εἶναι ἔτι νῦν, εἰ μὴ ἄρα καὶ τὴν πρὸς Ἀχιλλέα εὔνοιαν· τοῦτον μὲν γὰρ ὑπερφυῶς τιμῶσι καὶ νεὼν τὸν μὲν ἐν τῇ νήσῳ τῇ Ἀχιλλέως καλουμένῃ ἵδρυνται, τὸν δὲ ἐν τῇ πόλει, ὥςτε οὐδὲ ἀκούειν ὑπὲρ οὐδενὸς ἄλλου θέλουσιν ἢ Ὁμήρου. καὶ τἆλλα οὐκέτι σαφῶς ἑλληνίζοντες διὰ τὸ ἐν μέσοις οἰκεῖν τοῖς βαρβάροις ὅμως τήν γε Ἰλιάδα ὀλίγου πάντες ἴσασιν ἀπὸ στόματος“ (cf. Latyschew, Inscr. orae septentr. Ponti Eux. I 77—83. 172. 244, p. 170).

Ut apparet ex Ovidii carminibus Tomis perscriptis multisque titulis, qui ad reconstruenda oppida in Moesia inferiore et Dacia provinciis sita spectant (cf. Mitth. a. Österr. VI 36, XIV 22, X 163 Athen. Mitth. X 317, XI 200 etc.) res se prorsus simili modo etiam in his regionibus habebant (cf. Kleinsorge, De civitatum gr. in Ponti Eux. ora occident. sitarum rebus, Halle 1888). Etiam Homeri carmina, praesertim Iliadem in civitatibus Moesiae inferioris quasi ex memoria cognitam fuisse, ex titulo dedicatorio sequitur qui in ephem. Mitth. a. Österr. VI 31 editus est: [Σαρπηδόνι] τῷ ἐν Ἰλλι[άδι μὲν λεγομένω]ι ἀγὸς ἀσπιστάων, [ἐν Ἡοίαις δ' Εὐρώπη]ς πάις ἠυκόμοιο, in quo Sarpedonis epitheta scholastica cum diligentia exhibentur.

Etiam in ora meridionali Ponti Euxini carminum Homericorum notitiam accuratissimam fuisse cum titulus Nico-

mediae in Bithynia sandapilae cuidam incisus docet, cuius prima linea restat (C. I. Gr. II 3790): Ἑκτόρεον τύμβον (τ)ὸν ἐθαύμασε θεῖος Ὅμηρος (cf. Iliad. XXIV extr.), tum metallarii Paphlagonis epigramma sepulcrale demonstrat Sunii repertum (Bull. d. corr. hell. 1888 p. 246 sq.) quod est:

Πόντου ἀπ' Εὐξείνου Παφλάγων μεγάθυμος Ἀτώτας
ἧ γαίας τηλοῦ σῶμ' ἀνέπαυσε πόνων
τέχνηι δ'οὔτις ἔριζε Πυλαιμενέος ἀπὸ ῥίζης
εἰμ' ὃς Ἀχιλλῆος χειρὶ δαμεὶς ἔθανεν,

(cf. Iliad. II 851, V 576, XIII 658).

Itaque Homerum patrem poeseos ac praeceptorem vetustissimae aetatis Graecorum vel exeunte aevo antiquo atque etiam in provinciis, quas quidem Graeci incolebant, iuvenes educare, senes consolari, omnibus Graecis, praesertim qui ob continuos barbarorum impetus summis calamitatibus laborabant periculorumque magnitudine quasi obrui videbantur, animum viresque addere et augere videmus.



De Thrasyllo
operum Platonis editore.

Scripsit

Dr. Stephanus Pawlicki.

Utrum Tiberii famosus astrologus, an alius quidam Thrasyllus Platonis opera ediderit, et dubitatum est saepius neque hodie desunt qui in re haereant. Cum enim nuper Alfredus Hillscher paucis verbis, veluti rem omnibus notissimam, Thrasyllum astrologum affirmavisset et Platonis et Democriti opera in tetralogias dispertiisse, [1]) statim inventus est, qui contra diceret, minime hoc constare inter viros doctos. [2]) Duobus vero ante annis D. Lutosławski in quadam de Logica Platonis haud indocta disssertatione [3]) conatus est argumentis plurimis demonstrare, Thrasyllum astrologum nullo modo potuisse Platonis opera edere vel commentari. Argumenta tamen, quibus suam corroboravit sententiam, aut nihil probant **aut** hoc unum, quod erat notissimum, nunquam scilicet scriptores antiquos, qui de astrologo egissent, eius studia sive Platonica sive Democritea commemorasse, eos vero, qui grammaticum citent, omnino ignorare eius scientiam astrologicam et familiarem cum Tiberio convictum. Solus scholiasta quidam posterioris aevi ad Iuvenalis Satiram VI v. 576 adnotavit, eum philosophiae Platonicae fuisse sectatorem, [4]) sed ne hic quidem, quamvis aptam nactus occasio-

nem tradidit novam aliquam ab ipso factam esse Platonis operum editionem. Unde tamen D. Lutoslawski videtur mihi praepropere conicere, viros clarissimos Hermannum, Schanzium, Ueberwegum, Zellerum, alios absque ratione solida tueri duarum confusionem personarum, astrologi et grammatici, aliumque esse nescio quem Thrasyllum praeter notos viginti sex statuendum, qui primo vel secundo saeculo post Chr. vixerit, studiis Platonicis unice intentus. [5])

Nobis quidem propositum non est, omnia quae ad Thrasyllum grammaticum pertineant, confidenter retractare, praesertim cum res post accuratam et copiosam Hermanni disputationem [6]) possit haud iniuste multis videri supervacanea; quaerere tamen licet iuvatque, utrum Hermannus et qui secundus de Thrasyllo fusius disseruit, Suckowius, [7]) omnem dubitationem sustulerint an solum veri simile reddiderint, potuisse mathematicum etiam Platonis operum esse ordinatorem. Quodsi hoc alterum tantummodo assecuti sunt, fortasse operae pretium erit, nova argumentatione eorum dictis maiorem probabilitatem conciliare. Iam quaestionem totam ad historiam pertinere, nemo non videt, neque posse eam aliter solvi nisi testimoniorum fide, quae si desint vel non sufficiant, certitudo plena firmaque frustra exspectabitur. Porro dubium non est, quin testimonia ab Hermanno summa cum sollertia et congesta et explicata ad litem discernendam minime sufficiant. Nam praetermissis scholiastae verbis, de quibus infra agendum erit, non sunt nisi quinque scriptores antiqui, qui astrologi fata vel uberius enarrent vel data occasione breviter commemorent. Horum quidem tres principales iique tempore propinquiores ne verbum quidem unum faciunt de eius studiis philosophicis. Itaque Tacitus Chaldaeorum artis magistrum eum appellat, [8]) Suetonius mathematicum et sapientiae professorem, [9]) denique Dio Cassius ἄνδρα πάσης ἀστρολογίας πεφυκότα. [10]) At nulla fit mentio librorum ab ipso conscriptorum, ita ut iure mireris, quomodo historici illi silentio transierint hominis illustris opera studiaque, procul dubio magnis laudibus celebrata. Neque omissionem hanc satis re-

paravere duo ultimi testes a Thrasylli aetate remotissimi, Themistius et Iulianus, quorum alter quidem eum philosophum praedicat et cum aliis philosophis principum amicis comparat, [11]) alter etiam librorum meminit; [12]) sed verbis eorum accurate perpensis neque de philosophia Thrasylli, qualis fuerit, certiores reddimur, neque scriptorum apud Iulianum succincta notitia libros de aliqua doctrina vel arte divulgatos amplectitur, sed commentarios quosdam post mortem relictos, quibus voluit infamiam diluere, quae ex crudelissimi principis contubernio poterat ad ipsum facile redundare. Non remanet igitur nisi supra laudatus scholiasta, qui eum aperte Platonicum dicit; unde tamen id habeat, penitus ignoramus. Erit igitur investigationis nostrae haec fere summa, ut certissimum sit, Thrasyllum, Tiberii amicum, astrologum fuisse virumque eruditissimum; minus certum, eum platonicam vel aliam philosophiam professum esse; denique prorsus incertum, num libros quosdam, dum viveret, foras emiserit. De vita igitur eius quadamtenus instructi quidnam scripserit et elucubrarit minus patere necesse est concedamus.

Contrarium in Thrasyllo grammatico accidit, ut scriptorum eius fama ad nos perveniret, vitae memoria omnis oblitteraretur. Simpliciter Thrasyllus appellatur, nulla adiecta mentione aut patriae aut temporis, quo vixerit. Quod propterea censet Suckowius factum esse, ut commode ab aliis Thrasyllis distingueretur, qui pauca vel nihil scripsissent. [13]) Et recte quidem, nam multa ingenii sui monumenta reliquit, quae nonnisi posterioris aevi iniuria paullatim periere. Laudatur quidem nova Democriti ab eo facta editio, in tetralogias digesta, cui praefixerat librum de rebus scitu necessariis, antequam quis ad opera Abderitae legenda accederet. [14]) Maiorem vero gloriam assecutus est Platonis operibus eodem modo ordinatis [15]) et explicatis, si fides Porphyrio adhibenda est, qui eum inter Platonis commentatores bis commemorat. [16]) Alia quoque scripta illi tribuenda esse, quae apud Porphyrium, Theonem, Nicomachum Thrasylli cuiusdam nomine proferuntur, luculenter demonstraverunt Her-

mannus [16]) et Suckowius, [18]) ita ut vir litteratissimus industriam suam non solum in disciplinis grammaticis et historicis exercuisse videatur, verum etiam in musicis et mathematicis, illis quidem usus ad Democriti et Platonis opera edenda et illustranda, his vero ad libros suos de septem chordis componendos, quibus sphaerarum harmoniam et mysticas astronomiae leges sine dubio explicavit. [20]) Quis iam, quaeso, non miretur sortis adversae iniquitatem, quae effecit, ut viri, tot scriptis famosi, omnis vitae memoria funditus excideret, nihilque ad nos, nomine tenus, perveniret. Quodsi aliqua possit certitudine probari, scriptorem hunc illustrem fuisse eundem atque Tiberii astrologum, profecto duo una intentione assequemur, non sine magno quidem scientiae profectu, ut et hic videlicet recuperet suos libellos et illius vitae adumbretur imago, fiatque ex astrologo et scriptore una vivida vigensque persona. Tantum vero abest, ut meritis Hermanni et Suckowii quidquam detrahere velimus, qui hac in demonstratione perficienda egregiam operam consumpserunt, ut potius quam maxime eorum laudemus studia; attamen, non omni ex parte argumentationes eorum ita esse absolutas, ut nullus vel dubitationi locus detur vel novae coniecturae, ingenue confitebimur.

Itaque Hermannus, ut ab eo incipiamus, scholiastae, quem supra nominavi, testimonium absque haesitatione secutus arbitratur Thrasyllum Rhodi natum esse circa a. 40 ante Chr. ibique primum arti grammaticae operam dedisse, deinde ad philosophiam, huius vero ope ad mathematicas et musicas disciplinas traductum esse. Qua in re duo desiderantur: primum est, quod nullo praemisso examine scholiastae auctoritas tamquam indubia exhibetur; alterum, quod non edocemur, quomodo grammaticus consilium inierit, novam instruendi editionem tum Platonis tum Democriti. Scholiasta quidem affirmat, eum sectae Platonicae adhaesisse; sed quid hoc, quaeso, ad Democritum? Poterat sane philosophus Abderita sermonis elegantia hominem allicere grammaticum, at longa inde via erat ad novam operum eius editionem curandam. Ex hac

difficultate sese extricaturus declarat Hermannus, vix probabile esse quemquam, ex Platonicae disciplinae curriculis profectum, tantam Democrito operam impensurum fuisse, quem iam veteres animadverterent Platoni adeo invisum fuisse, ut inter omnes antecedentes aetatis philosophos solum illum nusquam in scriptis memoraret; concludit igitur, quidquid ad Democritum illustrandum contulerit Thrasyllus, ad priora vitae eius tempora reiciendum esse, quibus ipsum Platonem primum noscere coeperit. [21]) Ea igitur videtur Hermanno fuisse Thrasylli studiorum ratio atque via, ut primum in artes liberales incumberet, dein ad Democritum se converteret, postremo ad Platonem, ut huius in scriptis requiesceret. Haec tamen nullo modo e scholiastae verbis consequuntur neque cum illis congruunt quae paullo post Hermannus de Thrasylli studiis Pythagoreis exposuit; [22]) alio enim loco idem Hermannus suspicionem protulit Thrasyllum mathematicae disciplinae notitia ex Democriti libris percepta propius ad Pythagoricas rationes adductum esse atque pro viribus demonstrasse ipsum Democritum ab illis non fuisse alienum; quam quidem idoneam fuisse causam ut ad Platonis accederet opera et diligentissime ea Platonicae doctrinae pervestigaret placita, quae cum mathematicis musicisque Pythagoreorum inventis cohaererent.

Haud dissimilis videtur Suckowii esse sententia, qui verbis Porphyrii plus, quam aequum erat, tribuens, Thrasyllum philosophiae Pythagoricae sectatorem fuisse opinatur neque alio consilio Platonis opera adhibuisse, nisi ut Pythagorae dogmata melius explicaret. [23]) Quae tamen sententia et falsa est et novitate caret; nam ante Suckowium fere idem dixerat Hermannus, qui hoc non perspexisse perperam accusatur; [24]) est quoque falsa, cum Porphyrius, cuius verba affert Suckowius, nihil eiusmodi affirmet, sed hoc unum dicat, Plotinum philosophiae Pythagoricae et Platonicae principia melius et dilucidius explanavisse, quam Numenium, Cronium, Moderatum, Thrasyllum, [25]) unde nescio quo pacto conicere liceat, aut Thrasyllum fuisse Pythagoreum aut pro-

pterea Platonis opera tractavisse, ut facilius Pythagorae dogmata intellegeret.

Alia igitur via ingredienda est, qua et vitare nonnullos Hermanni et Suckowii errores possimus et rectas eorum opiniones novis argumentis confirmare. Qua in re quam maxime laudandi sunt viri doctissimi Susemihl et Schmekel, qui operibus nuper editis et summoverunt plurimas difficultates et praeparaverunt materiam uberrimam ad historiam philosophiae tutius componendam. [26]) Cum vero et tempus deficiat et charta, paucis contentus ero, quae novam afferre lucem possint Thrasylli personae illustrandae.

Rhodum insulam inde a saeculo secundo ante Chr. non solum mercaturae opibus, sed etiam scientiarum laude insigni quam maxime floruisse, nemo est qui ignoret. Eloquentiae palmam per multos annos Molon tenuit, sub finem vitae Ciceronis praeceptor. Iisdem temporibus magnus Posidonius iuvenibus Graecis et Romanis Stoae praecepta tradebat, cui Iason successit discipulus in schola regenda. Quamvis autem minus constet, quo hic anno diem obierit, haud tamen improbabile est, potuisse eum usque ad Thrasylli tempora praeceptoris munere fungi, qui Tiberius Rhodum cum venisset iam sapientiae professor erat matheseosque peritissimus. Itaque veri simillima est Hermanni coniectura, Thrasyllum circa annum quadragesimum esse natum [27]), Iason autem praeesse scholae a Posidonio erectae coepit circa annum 51 ante Chr. [28]) ita ut ipse et discipuli eius, ipsius quoque Posidonii auditores adhuc in insula superstites, possent Thrasyllo familiariter uti. Non minus vero probabile est, sapientiae professorem omniumque scientiarum cupidissimum qui Rhodi vitam degerit, Posidonii bibliothecam saepius lustrasse, scripta eius lectitasse, traditiones, quae procul dubio in schola Iasonis religiose conservarentur, summa cum aviditate pervestigasse. Atqui multa erant in Posidonii libris, quae potuissent lectoris animum ad eum studiorum cursum incitare, quem videtur Thrasyllus tenuisse. Sequebatur quidem ille Stoae praecepta, at tanta cum moderatione, ut semper Platonem in ore habe-

ret, Pythagoram extolleret, Democritum inter veros numeraret philosophos.[29]) In primis vero Platoni, magistri sui Panaetii exemplum imitatus, ita deditus erat, ut eius Timaeum summa cum diligentia commentaretur[30]) et fortasse etiam Phaedrum atque Parmenidem notis illustraret.[31]) Quod vero magis ad rem nostram facit, etiam scientias naturales summo cum ardore coluit et divinationis artem conatus est novis argumentis et rationibus corroborare.[32]) Pauca protuli, nam brevem me esse oportet, sed quae egregie adstipularentur scholiastae affirmanti, Thrasyllum multarum artium scientiam professum, postremo Platonicae doctrinae et deinde mathesi vacasse. Singula enim huius viae et rationis momenta tam arte cum Posidonii institutione cohaerent et cum eo animorum cultu, quem Posidonii schola amplexa est, ut veritatem testimonii, quod cum rebus aliunde notis tantopere congruit, in dubio ponere non liceat.

Sed eadem, quae de Posidonii libris philosophandique ratione monui quaeque post Susemihlii Schmekeliique studia recentissima possent ingentem in modum augeri, satis sunt ad quaestionem dirimendam, utrum Thrasyllus astrologus idem fuerit atque scriptor ille, cujus nomen nudum sine ullo additamento, septies apud Diogenem Laertium occurrit,[33]) quater apud Porphyrium,[34]) multoties apud Achillem Tatium, Theonem, Nicomachum.[35]) Porro omnia quae his locis Thrasyllo tribuuntur, aut ad eius studia Platonica et Democritea spectant, aut ad opera mathematica et astronomica. Iam in his nihil est, quod a viro Posidonii scriptis erudito interque discipulos ejus versato abhorrere dicas. Quis enim ab eo miretur Platonem editum et commentariis instructum esse? Fecerat idem Posidonius. Si vero Democritum quoque in novum ordinem redegit, ne in hoc quidem dissimilem se praestitit Posidonii, qui sine dubio propter scientiae naturalis amorem diligenter tractaverat Abderitae clarissimi opera. Tandem libros astronomicos et mathematicos, qui Thrasyllo adscribuntur, optime cum Posidonii ingenio ac philosophia convenire, non est necesse multis demonstremus, cum notissimum sit, prae-

ter celeberrimum in Timaeum commentarium eum quoque opera mathematica et astronomica divulgasse. Unum iuvat indicavisse, multa Thrasyllum libris suis inseruisse astronomicis, quae apud Posidonium invenisset, quod nuper ingeniose exposuit Schmekelius[36]). Et haec quidem sufficiant ad Hermanni aliorumque virorum de Thrasyllo opiniones confirmandas. Alias vero quastiones, quae fere innumerae eaeque gravissimae ex hac hypothesi oriuntur, tempore magis opportuno tractabimus, hodie uni dumtaxat intenti officio, ut stipem exiguam ad convivium splendidum conferamus, quod mox celebraturi sunt viri praestantissimi, ex omni Germania et Austria Vindobonam convenientes.

Adnotationes.

1) Hominum litteratorum Graecorum ante Tiberii mortem in urbe Roma commoratorum historia critica. Scripsit Alfredus Hillscher. Lipsiae 1891 (Teubner) p. 387.

2) Liter. Centralblatt a. 1893 no. 6. p. 183.

3) Dissertatio polonice scripta inserta est Act. Acad. Cracov. Tom XVII, class. hist.-philos. p. 265—333. Cf. etiam Bulletin international der l'Académie des sciences de Cracovie. 1890. Avril p. 113—118.

4) Verba eius affert Hermann, Geschichte und System der platon. Philos. p. 560.

5) Act. Acad. Cracov. Tom. XXVII, classis hist.-philos. p. 281—284 et 323—325. Cf. Bulletin international 1890 Avril p. 116

6) Disputatio de Thrasyllo grammatico et mathematico. Index schol. Gotting. 1852/53.

7) Die wissenschaftl. und künstler. Form der platon. Schriften. Berlin 1855 pp. 167 sq.

8) Ann. VI 20.

9) Vita Tib. 14; Vita Calig. 19.

10) Hist. Rom. LV 11.

11) Themist. Orat. V p. 76; VIII p. 129; XI. p. 173; XXXIV. p. 451 ed. Dindorf.

12) Epist. ad Themist. p. 265.

13) Form der platon. Schriften p. 169.

14) Ibidem.

[15]) Diog. Laert. IX 7 § 41.

[16]) Ibidem III § 56 sq.

[17]) Vita Plotini c. 20 et 21.

[18]) De Thrasyllo etc. p. 9 sq.

[19]) Form de platon. Schriften p. 169 sq.

[20]) Cf. Hermannum de Thrasyllo etc. p. 9.

[21]) Ibidem p. 8.

[22]) Ibidem p. 9.

[23]) Form der platon. Schriften p. 172.

[24]) Confer ea, quae Suckowius p. 172 dixit, cum verbis Hermanni laudatis.

[25]) Vita Plotini c. 20 et 21.

[26]) Susemihl, Geschichte der griech. Litt. in der Alexandrinerzeit. Leipzig 1891—1892, 2 Bde. Schmekel, die Philosophie der mittleren Stoa etc. Berlin 1892.

[27]) De Thrasyllo etc. p. 7.

[28]) Susemihl, Geschichte der griech. Litt. etc. II pag. 130 et 245.

[29]) Susemihl, ibidem II p. 133 et 134.

[30]) Susemihl, ibidem II p. 133; Schmekel p. 13.

[31]) Susemihl, ibidem II p. 134.

[32]) Susemihl, ibidem II p. 132 et 135.

[33]) Diog. Laert. III § 1. 56. 57; IX 7 § 37. 38. 41. 45.

[34]) Vita Plotini c. 20 et 21; ad Ptolem. Harmon. p. 266; ad Ptolem. Tetrab. p. 189.

[35]) Vide locos citatos apud Hermannum p. 9 et 11.

[36]) Die Philosophie der mittleren Stoa p. 400 sq. In primis confer, quae auctor doctissimus habet de commentario Posidonii in Timaeum p. 410 sq.



Nominum et argumentorum index.


Class 9463.4
Analecta graeco-latina.
Widener Library 005625796
3 2044 081 380 735